כהונת שקר
ומנחת און

Seu

SACERDOTIUM ROMANUM,

UNA CUM EJUS SACRIFICIO,

Ex

Characteribus Ordinum Aharonici & Melchisedeciani, intimáque Sacrificiorum indole,

Ut &

Hebræorum monumentis

More Geometrico

Νοθείας *convictum*,

Ut simul

Epistola ad Hebræos, in quantum de Sacerdotio agit, in Principia Mathematica resolvatur,

Atque

Quæst. LXXX. Catech. Palat. ab impacta calumnia liberetur.

Studiô & Operâ

HENRICI HORCHII

SS. Th. D. & Ecclesiæ Reform. quæ est Francofurti ad Mœnum, Pastoris.

AMSTÆLODAMI.

Anno M. DC. XC.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

Benevole Lector:

A Quo tempore post obitum CAROLI Palatinatum ingrediebantur Jesuitæ, hoc imprimis sibi curæ esse ducebant, ut Catecheseos Heidelbergensis Quæstionem octogesimam, quæ S. Cœnæ & Missæ discrimen inculcat, ob verba, ut ipsis videbantur, nimis aspera & in Missam injuriosa,

ex corpore Catechiſmi eliminarent. Videntes autem, ſe Auctoritate Sereniſſimi Electoris fruſtrà abuti, &, renitentibus fortiter Noſtratibus, conſilium non ſuccedere ex voto, Catecheſin ejuſque Auctores circa Miſſæ Doctrinam calumniæ crimine gravare non dubitarunt, ut animum vindicta æſtuantem quodammodo refrigerarent. Interim eructandæ, quam meditati erant, calumniæ opportunum exiſtimabant Corollarium, in quo Candidatorum aliquis, qui Diſputationibus Inauguralibus ad inſtantem tùm feſtivitatem Jubilaicam ſe parabant, totius Catecheſeos Palatinæ defenſionem ſuſceperat. Comparere igitur & Revv. Patres Jeſuitæ; eorum unus, præ ſociis Impudentiæ dono inſtructus, Acroaterium ſtentorea voce implere,

plere, & ream esse, ut alia crimina taceam, Calumniæ Catechesin, tumido syllogismo coaxare.

Arripiens autem hæc Catechismi verba: *Missa verò docet, vivos & mortuos non habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidiè Christus pro ipsis à Sacrificulis offeratur*; hanc Missæ necessitatem Catholicis falsò imputari pertendebat, contrà verò ex eorum mente possibilem esse peccati remissionem sine Missa, uti in re audita; ità & in voto desiderata. Provocabant Domini Disputatores ad Concil. Tridentinum, quod indolem Missæ exponit *Sess. 22. Cap. 1. & 2, item Canon. 3.* Unde Missæ necessitas ex mente

te Concilii liquidò demonſtratur.

Lapſus eſt ex eo tempore integer annus, quo conticuerunt hi Ranæ, ſed paulò poſt idem Accuſator ex limo veterem cœpit cantare querelam, edito ſchediaſmate admodum turgido atque inſolenti, cui titulus: *Actio injuriarum inſtituta à Veritate contra Calumniam in dicaſterio nudæ & ſimplicis Rationis, ob Doctrinam Catholicis in Reſp. ad Quæſt. LXXX. Catechiſmi Heidelbergenſis falsò imputatam*, ſcilicet; *Vivos & mortuos non habere remiſſionem peccatorum propter unicam Chriſti paſſionem, niſi etiamnum quotidiè Chriſtus &c.* In quo Catechiſmum pertrahit ad tribunal, & cauſam agit coram Judice *Ratione*, quam tandem judicium condemnationis pronunciantem

tem in Catechesin inducit hôc modô:

Crimen Falsi commisit

Igitur

E libro Symbolico eraditor,

E memoria hominum aboletor,

A parvulis non ultrà discitor,

Extra Gangem & Caucasum ablegator,

Et qui ultra docebit, sic docere Catholicos,

Pro mendo suo

Alapa benè sonora percutitor.

Non defuerunt Catechesi Defensores contra criminationem adeò ini-

quam; Unde & ego, ut tunc temporis Ecclesiasta Heidelbergensis, ab officio meo alienum non esse censui, Catechesin, quam ex suggestu docere tenebar, scripto quoque tueri. Insistens igitur literæ Catecheseos, *Cæna docet &c. Missa docet &c* loqui Catechesin de Doctrina Missæ reali pertendebam, utpote quæ ipsa indole sua importet hanc doctrinam, quam Catechesis Missæ assignat. Quâ ratione uno ictu ansa calumniæ amputabatur.

Respondet verò Accusator non nisi Thrasonicè, in libello, quem inscribit; *Calumnia inter Sacrum & saxum.* Provocat me tamen in fine, ut, Missam id docere, doceam. Quod præstiti in *Genio Missæ* eum in finem adornato. Crescit interim numerus Patronorum Catechismi, & alii alia respondent,

dent, ut non uno ſed pluribus modis calumnia repelleretur. Quod ipſum Accuſatori materiam ſuppeditavit *Naſum Cereum* Catechiſmo affingendi: Cui egregiè obviam itum eſt in Tractatu, qui inſcribitur *Diſpulſio Nebularum.*

Ab Accuſatoris partibus ſteterunt & alii, quos inter præcipuus eſt Dn. Quirinus Kunckel, Theologus atque Conſiliarius Moguntinus, qui mea potiſſimùm impugnavit. Posteà etiam Anonymus quidam *Genium Miſſæ*, idque formâ Geometricâ, refutare eſt aggreſſus. Quorum utrique præſenti hoc libello occurrere decrevi, quem citiùs dediſſem, niſi adverſa valetudo, qua ſæpius conflictandum mihi fuit, & belli, quod Patriam & præ-

cipue Palatinatum hactenus afflixit, incommoda remoram injecissent. Vale.

Dabam Francof. ad Mœnum die 20. Febr. 1690.

Ho-

Honori

Viri admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi, D. HENRICI HORCHII, SS. Th. Doctoris, & Ecclesiæ Reformatæ, quæ Christo colligitur Francofurti, Pastoris longè meritissimi, amici & fratris sui in Christo perdilecti, post alia utilia Opera nunc quoque conscripti nuper à se Genii Missæ vindicias edentis.

PApa licet variis Missam splendoribus ornet,
Laudéque grex illam tonsus ad astra ferat:
Est tamen horrendum monstrum, cûi lumen ademptum.
Ac ipso sudo res tenebrosa die.
Quin nihil est aliud, quàm fœda negatio λύτρυ,
In cruce quod Christo solvere cura fuit:
Atque superstitio cunctis fugienda, sacrato
Qui sanctum Christi pectore Nomen amant.
Nam negat, ob lethum Jesu laxarier ulli
Criminis admissi vincula dura sui;
Seu præsentis adhuc ætatis luce fruatur,
Seu tegat aggestum pallida membra solum:

Pluri-

Plurimus in fanis vano nisi more Sacerdos
Pergat Christum omni sacrificare die.
Haud minùs illa docet, Christi cùm verba Sacerdos
Incumbens aræ murmura quina dedit,
Protinus in corpus panem, vinum inq; cruorem
Vertier, ut remanens sola figura siet.
Ergo onerat crustum divinis cultibus agmen
Missificum & vulgus Numinis instar habet:
Poplitis hinc flexu, tensisq; ad sidera palmis
Orat, & oratum mox capit ore Deum.
Vana superstitio certè; quâ major in orbe
Ullo vix unquam tempore fota fuit.
Dum tamen interea quavis ratione tueri
Nititur hoc monstrum vertice rasa cohors,
Atque Catechesin nostram, quòd turpia nudat
Illius, inviso carpere dente solet.
Omnibus es dignus Clarissime *laudibus* HORCHI
Dum docto momis obstruis ora libro;
Atque Catechesin cœlesti luce coruscam
Contra cucullatos ritè tuere viros.
Pergito sic, falsis destructis, vera tueri
Et semper nomen vivet in orbe tuum.

Johannes Henricus Florinus
Eloq. in Schola academica, quæ est Herbornæ, Professor & Pædagogearcha.

כנ"ה

SACERDOTIUM ROMANUM,

Unà cum ejus Sacrificio,

Νοθείας convictum.

DEFINITIONES.

I.

PEr Missam hîc nihil aliud intelligo, quàm quod ipsa Ecclesia Romana, *nominatim Concil. Trident. Sess. 22. Cap. 2. item Can. 3. Nimirum:* Oblationem Corporis Christi incruentam, ceu sacrifi-

crificium verè ac propriè propitiatorium pro peccatis, ac necessarium ad hoc, ne extinguatur Sacerdotium Christi. *Ibidem cap.* 1.

II.

Romæ Sacerdotes innuo illos, qui ad istiusmodi sacrificium offerendum gloriantur se divinitùs esse vocatos, ut vicarios Christi ministros, ad continuandum ejus Sacerdotium necessarios.

III.

Quùm Missa non nudus & simplex sit animi conceptus, aut conceptuum mera theoria, sed actio externa atque factum, id quod ex ipsius definitione necessariò sequitur, voco Doctrinam Missæ Realem.

IV. Per

IV.

Per Ordinis Melchiſedeciani ſacrificium non intelligo id, quod ipſe obtulerit Melchiſedek, ſed tale innuo, quod offert is Sacerdos, qui Melchiſedeci, ut typi, ſolidum eſt corpus.

Vindiciæ.

Circa hanc definitionem adverſa fronte concurrunt adverſarii. Laudat eam Moguntinus, eamque lubentiſſimè ſe admittere, ait. Reprehendit verò acriter Anonymus: *Heus*, inquit, *Miſſoliturge*, (itàme vocat) *hanc definitionem pectinare debemus. Noſti Geometrarum eſſe definitiones dare non reales, ſed nominales.* Ità ſanè eſt, Miſſo-liturge; ſed unde tu ſuſpicaris hanc eſſe realem? *In definitione*, inquis, *tua ſupponis, Melchiſedek nullum obtuliſſe Sacrificium, de quo ingentia prælia extiterunt, quæ etiamnum ardent. Supponis deinde, Melchiſedecum tamen eſſe typum Chriſti, cùm, priore ſuppo-*

A 2 *ſito,*

ſito, contrarium ſequatur. Supponis tertiò, Chriſtum eſſe Sacerdotem Ordinis Melchiſedeci per paſſionem, quod minimè concedimus, & de quo tota lis eſt inter nos.

Verum enim verò falſum omninò eſt, me ſupponere, quod primo loco affers. An ſacrificium obtulerit Melchiſedek, hæc definitio nec affirmat, nec negat, ſed rem omninò in medio relinquit. Aliud certè eſt dicere: *Ego hîc non intelligo Sacrificium ipſius Melchiſedeci*; Et aliud rurſus: *Ego Melchiſedecum ſacrificaſſe nego.* Prius facio in definitione, poſterius mihi falſò affingis.

Unde &, quod cauſaris, ſecundum ſua ſponte concidit. Et præterea, fac, non ſacrificaſſe Melchiſedecum, an ideò ceſſabit eſſe typus Chriſti? Minimè: Superſunt enim perſonæ ipſius Characteres, quales ſunt, eſſe ſine patre & matre, &c. quibus Chriſtum præfiguravit.

Tertium denique non minùs à veritate abit; Chriſtum enim aſſero antitypum Melchiſedeci, non propter paſſionem, ſed propter perſonæ ſuæ Characteres, quorum ratione Melchiſedeco, ut ty-

typo, respondet, ut in definitione expressè habetur. Sacrificium crucis Christum non facit Ordinis Melchisedeciani Sacerdotem, sed contrà, quoniam Christus per certos Characteres jam est istius Ordinis Sacerdos, ideò sacrificium indirectè & mediatè ad hunc refero Ordinem, cujus ipsemet est Sacerdos, ut infrà clariùs apparebit.

V.

Ordo Sacerdotalis est similitudo Sacerdotum tàm exacta, ità ut alteri, tanquam exemplari, alter, (sive unus, sive plures) debeat conformari quoad certos, potissimùm, quos ab ortu habet, personæ Characteres.

Demonstratio.

Velim hîc observari discrimen inter duo definitionum genera. Sunt definitiones *arbitrariæ*, in quibus termini, quibus utimur, pro lubitu definiuntur;

quales ſunt definitiones Geometrarum omnes, quæ eò tantùm faciunt, ut vocabula ab omni ambiguitate liberentur. Quo in caſu definitor indicat, quo ſenſu capiat definitum, & quam præcisè ideam iſti voci alligaverit: Et hîc (quamvis temerè faciat, qui citra cauſam ab uſu loquendi recepto diſcedit) nullus errori locus: Propterea & citra ullam demonſtrationem adoptantur, ut principia ipſarum demonſtrationum.

Sunt præterea definitiones *neceſſariæ*, ubi nulla definiendi libertas, ſed ubi definita certo ac determinato ſenſu ſumi neceſſe eſt. Tales ſunt omnes eæ, quæ verſantur circa terminos in Scriptura uſurpatos. Licet enim illi ad arbitrium Spiritûs Dei certum definitumque ſenſum obtinuerint, & eatenùs ſint arbitrariæ, attamen, quia definitiones jam factæ ſunt in Scriptura, & Propoſitiones invenimus inde jam formatas, neceſſe eſt terminos, ex quibus iſtæ conſtant, eo capiamus ſenſu, quo à Spiritu Dei ſunt definiti, niſi à mente Spiritus ſpontè aberrare velimus.

Quo

Quo observato facilè patet, definitionem præcedentem eatenus arbitrariam esse, quatenus definitum, prout ex terminis simul sumptis constat, in Scriptura non reperitur. Licet enim inibi invenias *Sacrificium*, *Melchisedecum*, & *Ordinem* illius (quorum ita singillatim sumptorum definitiones in Scriptura extant, & eatenùs sunt necessariæ) attamen, prout simul sumuntur, unumque constituunt definitum, nimirùm *Sacrificium Ordinis Melchisedeciani*, nullatenus occurrunt, & propterea liberè à me poterat indicari, quo sensu capi id vellem.

Contrà verò, quam hîc adfero, Sacerdotalis Ordinis definitionem necessariam esse inde perspicuum est, quia & definitum in Scriptura reperimus, & ipsam definitionem; quæ propterea non aliter, ac Propositio, est demonstranda, & quidem ex ipsa Scriptura; quod faciam per partes, juxta Ordinem in definitione observatum.

Definitum extat Ps.110: 4. potissimùm Hebr. 7: 11. Quo in capite & integram definitionem reperies.

Ordinem definio similitudinem, & ipsorum quidem Sacerdotum, non sacrificiorum; idque ex v. 15. ubi Apostolus τάξιν explicat ὁμοιότητα, eamque non inter sacrificia, sed ipsos Sacerdotes, dum ait: Εἰ κτ̀ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσαται ἱερεὺς ἕτερος, &c.

Addo, designari & nominari certam personam veluti reliquorum sui Ordinis exemplar, unde is Ordo nomen sortitur: Sic Melchisedek inducitur, ut sui Ordinis exemplar, cui & nomen dat; & Aharon Sacerdotum sui Ordinis Caput Aharonico Ordini nomen imponit.

Subjungo, similitudinem reperiri in certis Characteribus personarum, & quidem talibus, qui potissimùm Ortum Sacerdotum concernunt. v. g. Εἶναι ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα, μηδὲ ἀρχὴν ἡμερῶν, μηδὲ ζωῆς τέλος ἔχειν· Quibus Apostolus Melchisedecum insignit, adeò ut eum, ex mirabili potissimùm ortu, introducat ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. Ubi nota.

I. Similitudinem & quidem personarum, Melchisedeci & Filii Dei.

II. Characteres ipsorum personales, eosque

eosque præcipuè, qui ipsis competunt ex ortu, ut esse sine patre & matre, dierumque initio carere.

Idem videre est circa Ordinem Aharonicum: Et hîc non sacrificiorum, sed Sacerdotum similitudo in censum venit, ut ex ipsis terminis liquet ex v. 11. & infrà ex utriusque Ordinis Characteribus fusiùs patebit.

VI.

Characteres Ordinis Sacerdotalis sunt ejusmodi sive requisita, sive γνωρίσματα, quæ personæ inesse debent, præcipuè ab ortu, antequam in Ordinem Sacerdotalem possit adsciscì. *Patet ex Def. præc.*

VII.

Sacrificium est istiusmodi sacrum, quod Deo dedicatum, solenni ritu destruitur, &, si ex viventibus est, mactatur.

Explicatio & Demonstratio.

Sacrificium, si etymon Latinum spectes, notat actionem circa donum sacrum, prout Lanificium, Panificium & cœtera ejusmodi formæ: Hebraicè dicerem cum Maimonide מעשה קרבן ex titulo libri, quem de Sacrificiis conscripsit. Ast usus tulit, ut ipsum adeò δῶρον sæpenumerò veniat hoc nomine apud Scriptores cùm profanos, tùm sacros. Nos id pro re nata, modò pro ipsa victima & dono oblato, modò pro ipso sacrificandi actu, modò pro utroque usurpamus.

Rem ipsam quod attinet, facilè patet veritas hujus definitionis, scilicet quod sacrificium inferat destructionem sacri & occisionem rei animatæ. Constat id ex inductione omnium exemplorum. Ὁμόψηφον hîc habeo Bellarminum *Lib.* 1. *de Miss. Cap.* 2. *Omnia omninò*, inquit, *quæ in Scriptura dicuntur sacrificia, necessariò destruenda erant. Si viventia, per occisionem; si inanima solida, ut simila, sal & thus, per* com-

combustionem; si liquida, ut sanguis, vinum, aqua, per effusionem. Lev. 1. *&* 2.

VIII.

Propitiatio sacrificalis est translatio peccati in victimam ad ipsius sontis impunitatem.

Demonstratio.

Claret id I. ex nominibus, quæ victimis piacularibus imponebantur; hinc enim, quia peccata offerentium ferebant, ipsorum peccatorum nomina accipiebant, atque חטאות & אשמות appellabantur. *Lev.* 1. *& seqq.*

II. Ex χειροθεσίας ritu; tenebatur enim, qui sacrificium afferebat, manum, (sive alterutram, sive utramque,) capiti victimæ imponere. *Lev.*1: 4. 16: 21. manifesto indicio, substitui victimam in locum offerentis, & peccata ipsius à se ablata victimæ capiti imponi.

III. Huc spectabat solennis peccatorum confessio, quæ impositionis ritum comi-

comitabatur. *Lev.* 5:5. Unde & Capiti hirci ἀποπομπαίῳ, adhibitis χειροθεσίας καὶ ὁμολήγεως solennibus, peccata Iſraëlis imponi explicatis verbis docetur *Lev.* 16:21.

IX.

Interceſſio eſt actus Chriſti Sacerdotalis, quo poſtulat à Patre, quod ipſi ſub certa conditione promiſit. *Sic Pſalm.* 2: 8. *Poſtula à me &c.* *Jeſ.* 53: 10. *de quo infra.*

X.

Benedictionem Chriſti voco actum illius Sacerdotalem, quô hominibus largitur Spiritum Sanctum, fidei omniumque bonorum ſalutarium auctorem. *Gen.* 22: 18. *Eph.* 1: 3.

POSTULATA.

I.

Peto à Lectore, velit ante omnia attendere ad Ordines Sacerdotum

eo-

eorumq; Ordinum numerum, quem exhibet Scriptura.

II.

Cujuſque Ordinis Characteres ſimiliter diligentiſſimè velim indagari.

III.

Quoslibet Sacerdotes cum dictis Ordinibus eorumq; Characteriſmis conferendi facultas concedatur.

Vindiciæ.

Pluſquam lynceus ſit oportet, qui aliquid iniqui cernat in his poſtulatis. Eadem æquitate hæc peto, ac Euclides poſtulat, ut à quovis puncto ad quodvis punctum lineam rectam ducere, & lineam rectam terminatam in continuum rectà producere; & quovis centro & intervallo circulum deſcribere concedatur. Agnoſcit hoc Anonymus; *Quis tibi,*

tibi, inquit, *in hoc non facilè obsequatur?* Ἄτοπον verò est, quod subjicit. *Sed quid inde conficies? Missam esse ψευδώνυμον? Esse Christo contrariam? suo genio docere, passionem non sufficere &c.* ὢ πόποι! *Idem mihi facere, Misoliturge, videris, quod si Arithmeticam docturus novem tibi notas numerorum solum ostenderem, aut ex uno stellarum intuitu tibi omnem Astronomiam promitterem.* Ast, quis tibi solùm ostendit hos Characteres? An ex iis solis demonstrationes concinnavi? Nonne juxta hæc postulata præmisi & alia demonstrationum principia, definitiones & axiomata? Imò non tantum præmisi, verùm etiam propositionibus demonstrandis applicavi? Hoc certè garrire est, non loqui.

IV.

Liceat Sacerdotes ita cum Ordinibus comparatos ad eum Ordinem referre, cum quo similitudinem habent vel omnimodam, vel fal-

ſaltem præ altero Ordine majorem.

Non ſecus ac Logici, qui omnia vel directè referunt ad prædicamenta, vel eò reducunt, ubi major deprehenditur analogia.

AXIOMATA.

I.

Perfectiſſimo Sacerdoti reſpondet ſacrificium perfectiſſimum.

II.

Sacerdoti ψευδωνύμῳ reſpondet ſacrificium ψευδώνυμον.

III.

Nemo propitiatur, niſi iratus.

Explicatio.

Propitiationem hîc intelligo, quæ victimâ peragitur, prout ea ſuprà eſt definita,

nita, nisi quòd hîc Deum habeat pro objecto; Vid. *Luc.* 18:13. ὁ θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. Hæc igitur nihil aliud est, quàm *placatio Numinis offensi*, *hostia injiciendo peccatum*, *ad veniam reo faciendam*.

IV.

Unicitas perfectionis argumentum est.

Explicatio.

Multiplicitas quidem rerum creatarum perfectionem arguit in Creatore, utpote quem innumerabilis operum suorum copia & varietas commendat *Ps.* 104:24,25. Ast semper imperfectionis nota est in qualibet re creata: Nam quia manifestandæ Dei gloriæ singulæ capaces non erant, ideò pluribus erat opus. Quod verò perfectissimum est, hoc ipso unicum est, ut Dei exemplo docemur.

V. Ab

V.

Ab eo, quod perfectissimum est, id removendum est, & solùm quidem removendum est, quod manifestò imperfectionem involvit.

VI.

Sacrificium omni ratione perfectum continet omnem perfectionem, quæ ulli sacrificio vel inest unquam, vel inesse potest.

VII.

Ut causa prior est suo causato, sic quilibet Sacerdos prior est oblatione. Et, ut causæ affectiones priores sunt affectionibus causati, sic Sacerdotis requisita priora sunt sacrificii requisitis.

VIII.

Doni offerendi vitium atque nul-

litas infert ipſius ſacrificii vitium & nullitatem.

IX.

Antitypus perfectiſſimus continet in ſe omnem perfectionem ſui typi, idque perfectiſſimo modo.

X.

Locus offerendi ſacrificii illicitus, illicitam eatenus facit ipſam victimæ oblationem.

XI.

Sub qua conditione præſtanda quid legitimè promittitur, ex eadem præſtita id legitimè poſtulatur.

XII.

Conditio, cujus nulla omninò fit mentio in pacto, non obligat partes contrahentes, ideoq; nulla cenſetur.

XIII. Qui

XIII.

Qui, notis veri Chriſti deſtitutus, habetur pro Chriſto, eſt Pſeudo-Chriſtus.

XIV.

Similiter ſpurius eſt is, in quo indicia comparent, incongrua Chriſto γνησίῳ.

XV.

Qui alium Chriſtum, aliud facit Evangelium.

XVI.

Idololatriæ reus eſt, qui Pſeudo-Chriſtum colit, ut Chriſtum.

PROPOSITIO I.

DUo tantùm ſunt Sacerdotum Ordines, Melchiſedecianus & Aharonicus.

Demonſtratio.

Attendatur enim *juxta Poſtulatum I.* ad Sacerdotum Ordines, Ordinumque in Scriptura expreſſorum numerum, & is comperietur binario nec minor nec major. Utrumque Ordinem recenſet Apoſtolus *Hebr.* 7:11. Ordinem Melchiſedeci & Ordinem Aharonis. De tertio Ordine altum in Scriptura eſt ſilentium.

Vindiciæ.

Contradicit huic Propoſitioni Moguntinus, Abelem allegans, Abrahamum, Jobum; quibus Anonymus, citra dubium dormitans, Salomonem, ut Sacerdotem, adjungit. Hi, inquit, erant Sacerdotes, aſt non Aharonici Ordinis; non

non enim ortum trahebant ex Aharone, qui tamen ejus Ordinis Character est. Neque etiam, ut per se patet, Melchisedeciani. Datur igitur tertius Ordo, ab Aharonico atque Melchisedeciano distinctus.

Verùm (præterquam, quòd illi Patriarchæ nunquam in Scriptura donati sint nomine כהנים, quo honore primus mactatus est Melchisedecus, quem Moses appellat כהן לאל עליון *Gen.* 14:18.) non distinguit Adversarius inter quodcunque Sacerdotium, & illud quod certi est Ordinis. Fuerint illi Patriarchæ Sacerdotes, ast non certi Ordinis. Neque enim Noach vel alius quispiam à Deo fuit designatus & nominatus in exemplar, cui alii deberent conformari, & qui Ordini nomen faceret, ut Melchisedecus Melchisedeciano & Aharonicus Aharonico. Neque ulli in ullo definiti sunt Characteres, tanquam requisita aut γνωείσματα, quæ personis Sacerdotum inesse deberent, antequam in illum Ordinem possent admitti, quæ duo tamen Ordinis essentiam constituunt, ut *De-*

fin. 5. & 6. demonſtratum. Dicat igitur Adverſarius, quo nomine tertius ille, quē comminiſcitur, Ordo ſit inſigniendus. An Abelicus? an Noachicus? an Abrahamicus? aut quis fuerit iſtius Ordinis Caput & exemplar, & quinam illius Characteres à Deo deſignati? Quæ præterea ad hanc Propoſitionem & ſequentes affert Adverſarius, hoc obſervato, ſua ſponte cadunt, & ſuo quæque loco refellentur, ne Ordinem turbemus.

PROPOSITIO II.

Quiſque horum Ordinum peculiaribus Characteriſmis eſt notatus.

Demonſtratio.

Indagentur *juxta Poſtul.* 2. hi Characteres, & apparebit, illos *Hebr.* 7. toto & alibi nobis exhiberi, quorum ſingulos ſequentibus Propoſitionibus recenſebo.

PRO-

PROPOSITIO III.

Primus Aharonici Ordinis Character est, non admittere Sacerdotes, nisi γενεαλογουμένους ex Aharone.

Demonstratio.

Patet id ex institutione ipsius Dei *Exod.* 28: 1. & confirmatione, rebellantibus Korah, Dathan & Abiram; idque per miraculum Aharonicæ virgæ eadem nocte florentis & amygdala maturantis *Num.* 16 & 17.

SCHOLIUM.

Character hic, ut primus, sic præcipuus est, quem Lex expressè requirit, non solùm in Summo, sed gregario quovis Sacerdote; Ut nemini Sacerdotum fas fuerit alium subdelegare ministrum aut Sacerdotem vicarium ex alia quavis stirpe oriundum. Lex certè severa est, quam

ipſemet Summus Legislator Moſi tradit, mortis comminatione ſancitam. *Aharonem & filios ejus præficito, ut obſervent Sacerdotium ſuum, & quicunque extraneus acceſſerit, morietur, Num.* 3: 10. Interim ſuos habebant adminiſtros, Levitas ac Nethinæos, ſed hi Sacerdotes non erant.

Huc faciunt ea, quæ habet Moſes Bar Maimon *Biath Hammikdaſch Cap.* 9: *v.* 1.
זר שעבר במקדש עבודתו פסולה וחיב מיתה
בידי שמים שנאמר והזר הקרב יומת :
Extraneus, qui cultum obit in Sanctuario, cultus ejus eſt reprobus, & ipſe eſt reus mortis per manus cœli, (h. e. ab ipſomet Deo miraculosè inferendæ, ut apparet in Uſſia lepra percuſſo, de quo dicit Scriptura נגעו יהוה *percuſſit eum Jehovah*. 2. *Chron*, 26: 20. Ubi tamen Deus clementiam cum ſeveritate conjunxit, quòd Uſſiam, qui, quod Aharonidarum tantùm erat, altari ſuffitus accedebat, non morte afficeret juxta legem allegatam, ſed tantùm percuteret lepra) *ſicut dictum eſt: Et extraneus accedens morietur.*

tur. Paulò poſt, ne, quis extranei nomine veniat, ignoretur, ità quærit: אי זהו הזר *Quis eſt extraneus*? & reſpondet: כל שאינו מזרע אהרון *Omnis, qui non eſt ex ſemine Aharonis*: Prout & oppoſitio, quæ in textu eſt, manifeſtò id flagitat. Opponitur enim extraneus adæquatè Aharoni & filiis illius.

Porrò & Levitis, qui tamen ejuſdem cum Aharonidis erant tribus, omni omninò opere Sacerdotali interdictum fuiſſe, ità ut nullatenùs nomine Sacerdotum potuerint adſciſci, ut Miniſtri, vel Coadjutores, idem docet Maimonides *Kelé Hammikdaſch Cap.* 3: *in fin.* לוים שעבדו עבודת הכהנים או שסייע לוי במלאכה שאינה מלאכתו חייבין מיתה בידי שמים שנאמר ולא ימותו: *Levitæ, qui obeunt cultum Sacerdotalem, aut Levita, qui opitulatur*, puta Sacerdoti, *in opere, quod non eſt ipſius*, nimirùm Levitæ, *rei ſunt mortis per manus cæli, ut dictum eſt: Ne moriantur* *Num.* 18: 2, 3, 4.

PROPOSITIO IV.

Secundus Aharonici Ordinis Character eſt, plures habere Sacerdotes.

Demonſtratio.

Οἱ μὲν πλείονες εἰσὶ γεγονότες ἱερεῖς, inquit Apoſtolus verſ. 23. Erat in eo Ordine כוהן גדול Summus Sacerdos, qui ſurrogatum habebat Vicarium כוהן המשנה ἱερέα δευτερεῦοντα *Jeſ.* 52: 24. qui Talmudicis סגן appellatur: *Vid. Schekalim Cap.* 6: *v.* 1. Hic rurſus alios habebat Subvicarios, quos קתיקולין appellabant. Bello etiam erat deſtinatus peculiaris Sacerdos, inde משוח מלחמה vocatus. Reliqua Sacerdotum officia vide *Schekalim Cap.* 5: v. 1. ſ. ubi texitur Catalogus הממונים שהיו במקדש *eorum qui præfecti fuerunt Sanctuario*, περὶ ὧν οὐκ ἔστι νῦν λέγειν κατὰ μέρος.

SCHO-

SCHOLIUM.

Interim observare libet, fuisse Aharonidarum Ordinem ad modum præsidii militaris adornatum. Erant illi in viginti quatuor familias ceu totidem turmas atque classes distributi, ac codici inscripti, non secus ac milites 1. *Chron.* 24: ex cujus octava classe nimirum Abiæ erat Zacharias *Luc.* 1: 5.

Habebant illi eadem cum militibus officia; non tantùm enim altari vacabant, verùm etiam in tribus Templi locis excubias agebant; בשלושה מקומות הכוהנים עומדים בבית המקדש בבירת אבטינס בבירת הניצוץ ובבירת המוקד: in conclavi Abtinas, Nizoz & Moked. *Middoth Cap.* 1: v. 1.

Officiales inter ipsos erant superiores, inferiores & post hos gregarii Sacerdotes. Erat supremus omnibus custodiis Præfectus איש הר הבירת appellatus, *Middoth Cap.* 1: *vers.* 2. Erant septem על נעילת שעריכם qui claves habebant ad septem portas atrii, אמרכלים dicti; *Schekalim* 5: *v.* 2.

Erant

Erant זקני בית אב h. e. Seniores illius Sacerdotum Ordinis, qui illo die ministrabat; *Middoth*. 1: 6. Erat ממונה על זמנים qui debebat obſervare tempus munera adeundi & Sacerdotes alios altâ voce monendi: Clamabat autem ante auroram; עמדו הכוהנים על עבודתכם ולוים על דוכנכם: *Surgite Sacerdotes ad cultum veſtrum, & Levitæ ad locum veſtrum*: Maimonides ad *Tamid. Cap.* 3: 8. Hinc ne Summo quidem Sacerdoti fas erat ſuffitum facere ante auditam Præconis vocem: אישי כהן גדול הקטר *ſuffitum fac, Domine Sacerdos Magne. Tamid. Cap.* 6: 3.

Omnes hi munia ſua, non ſecus ac milites, obibant ſtantes *Pſ.* 134: 1. 2. *Chron.* 7: 6. Et nemini in atrio Iſraëlis ſedere licebat, niſi Regi ex familia Davidis, & aliquando Summo Sacerdoti. Idque tàm exactè obſervabatur, ut, quùm aliàs nemo deberet montem Templi baculo aſcendere, ſolus cuſtodiæ Præfectus exlex eſſet; eum in finem, ut ſi luſtrans cuſtodias aliquem inveniret pedibus non inſiſtentem atque dormientem,

bacu-

baculo probè dedolaret, & facibus, quæ ipsi præferebantur, vestimenta combureret; חובטו במקלו ורשות לו לשרוף כסותו *Middoth. Cap.* 1: 2. Unde Hierosolymitanis, dum clamor ex Templo audiebatur, mos erat dicere; מה קול בעזרה קול בן לוי לוקה ובגדיו נשרפים שישן לו על משמרו: *Quæ vox in atrio? vox Levitæ vapulantis, & cujus vestimenta comburuntur, quia dormivit in custodia sua.* ibidem.

Instrumentorum etiam, qualium in bello, usus erat. Præter tubas enim, quæ suum תת״ת Taratantara sonabant singulis horis matutinis, cùm porta Nicanoris & atrii reliquæ aperiebantur, instrumentum inflabant tempore suffitus, cui מגריפה nomen, quod decem foraminibus instructum sonitum ciebat tàm fortem, ut nemo vicini vocē perciperet Hierosolymis, ut dicitur *Tamid. Cap.* 5: 6. אין אדם שומע קול חבירו מקול המגריפה: Imò ipsius sonus in urbe Jericho audiretur, ut Talmudici ajunt; מיריחו היו שומעין קול המגריפה *Tamid. Cap.* 3: 8.

Vi-

Vices denique ferè easdem cum militibus servabant. Integræ turmæ decedenti qualibet hebdomade succedebat alia, & prout illæ in sex minores erant subdivisæ, sic singulis diebus decedenti familiæ nova succedebat, usque dum die Sabbathi omnes simul ministrarent. Ex quibus omnibus manifestum est, Ordinem inter Aharonidas eundem ferè fuisse, quàm qui inter milites præsidiarios esse consuevit. Digressionis hujus prolixioris, si ea cui tædio fuerit, veniam peto.

PROPOSITIO V.

Tertius Aharonici Ordinis Character est, Sacerdotes adsciscere mortales.

Demonstratio.

Mortalitatem allegat Apostolus, ut unam ex rationibus, cur fuerint plures in eodem Ordine Sacerdotes v. 23. Admovebantur illi Sacerdotio κτ̀ νόμον ἐντολῆς

λῆς σαρκικῆς, h. e. ad dies vitæ tantùm, quæ prout caro noſtra fragilis eſt, non diu durat. Huic fragilitati accommodata erat ea lex, juxta quam Aharonidæ Sacerdotium ingrediebantur: Et hoc in articulo mortis rurſus exuebant, ſucceſſori locum facientes. Sic Aharoni morienti ſuccedebat filius Eleaſar & veſtibus Pontificalibus induebatur *Num.* 20: 28.

PROPOSITIO VI.

Quartus Aharonici Ordinis Character eſt, Sacerdotes conſtituere obnoxios peccato.

Demonſtratio.

Hoc innuit Apoſtolus v. 28. *Lex*, inquit, *conſtituit Sacerdotes* ἔχοντας ἀσθένειαν; Intelligit autem infirmitatem peccaminoſam, ut ex v. 27. liquet: Ideò enim pro ſuis ipſorum peccatis primò offerre tene-

tenebantur, deinde pro populi peccatis. Homines illi erant ὁμοιοπαθεῖς ἡμῖν, καὶ περικείμενοι ἀσθένειαν, Adamicæ nobiſcum corruptionis hæredes καὶ πταίοντες πολλὰ ἅπαντες; idque eum in finem, ut poſſent μετριοπαθεῖν τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις *Hebr.* 5:2. Hujus conditionis ipſe Aharon erat, omnium ſui Ordinis Sacerdotum Patriarcha. *Num.* 20:12.

Vindiciæ.

Nolo hoc ità accipi, ac ſi Sacerdotes Aharonici ex ſuo Ordine fuiſſent auctorati ad peccandum, ut Moguntinus id malè interpretatur; ſed naturam peccato obnoxiam hîc tantùm allego, ut γνώρισμα, quo Ordo Melchiſedecianus diſcriminatur ab Aharonico, juxta Apoſtolum *Hebr.* 7:27,28. Et quamvis ipſe Melchiſedek fuiſſet ψιλὸς ἄνθρωπος & peccato obnoxius, de quo jam nolo diſceptare, non tamen ſub hac ratione venit in cenſum, ſed potius, ut homo mirabilem habens ortum, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ideoque, ut exlex & exhæres illius labis,

labis, quam omnes illi trahunt ex communi parente Adamo, qui ex maris & fœminæ conjunctione proseminantur.

PROPOSITIO VII.

Characteres Aharonici Ordinis omnes non sacrificiorum, sed Sacerdotum sunt Characteres.

Demonstratio.

Patet *Primò* ex enumeratione omnium Characterum *juxta Prop.* 3—6.

Secundò ex Ordine naturæ; ut enim causa ejusque affectiones priores sunt suo causato & ejus affectionibus, sic Sacerdos cum suis Characteribus prior est Characteribus Sacrificiorum, *juxta Axiom.* 7. *& Defin.* 6. Sacerdotum igitur, ut omnium, sic & Aharonicorum, alii sunt, ac Sacrificiorum Characteres.

Tertiò ex diversis & à se invicem discriminatis legibus. Sacerdotum requisita

ſeorſim traduntur *Exod.* 28: 1. *Num.* 3: 10. Ritus item Sacrificiorum ſeorſim *Levit.* 1: *ſeqq.*

Quartò ex hiſtoria: Alia longè quæſtio erat, an quis legitimus Aharonici Ordinis eſſet Sacerdos; & alia rurſus, an is legitimè offerret juxta Legem.

Circa priorem quæſtionem examinabantur Characteres perſonarum & potiſſimùm proſapia, num genus traherent ex Aharone. Sic filii Barſillai reduces Babylone gloriabantur de Aharonico genere, ſed codicem genealogicum fruſtrà quærentes, à Sacerdotio abſtinebantur, ut profani, *Ezr.* 2: 61, 62. Cui fini, ne Sacerdotes admitterent extraneos, deſtinatum erat conclave, quod לשכת בולווטי h. e. corrupto ex Græca lingua vocabulo *cameram* βυλευτῶν, item לשכת פרהדרין id eſt προέδριον appellabant, *Joma. Cap.* 1. & *Middoth. Cap.* 5. Ubi ſedentes cum Summo Sacerdote delegati alii Sacerdotes in proſapiam & reliquas Sacerdotii qualitates inquirebant, dùm præſtò erant Sacerdotii Candidati.

Quâ

Quâ ratione autem cum his egerint Sacerdotum Seniores, exactè pro more deſcribit Maimonides, *Biath Hammikdaſch Cap. 6: v. 11. & 12.* כל כהן שנמצא פסול ביחוסו לובש שחורים ומתעטף שחורים ויוצא מן העזרה וכל מי שנמצא שלם וכשר לובש לבנים ונכנס ומשמש עם אחיו הכהנים מי שנמצא כשר ביחוסו ונמצא בו מום משב בלשכת העצים ומתלע עצים למערכה: *Quilibet Sacerdos, qui in familia ſua reperitur reprobus, atram induens veſtem, atroq; ſe cooperiens velamine, egreditur Sanctuario. Qui autem quoad membra integer & quoad genus deprehenditur probus, albo indutus ingreditur Sanctuarium & miniſterium obit cum Sacerdotibus fratribus ſuis. Qui verò quoad familiam invenitur legitimus, ſed vitio quodam corporis laborans, ſedet in conclavi lignorum, findens ligna ad ſtruem in ara faciendam,* ſive, ut alii vertunt, *ſeparans ligna* à vermibus corroſa à reliquis intactis, quæ ſola ignis ſacri pabulum eſſe merebantur.

Nota I. in hoc Sacerdotum consessu inquisitum fuisse in Characteres Candidatorum personales; potissimùm prosapiam.

II. Hos Characteres in ipsis requisitos fuisse, antequam in Sanctuarium intrarent, & cum reliquis Sacerdotibus functionem suam auspicarentur; ideoq; Sacerdotum requisita & priora & alia esse à Sacrificiorum requisitis.

Circa posteriorem verò qurstionem, non tàm de Sacerdotis, quàm sacrificii qualitate dispicitur: ut apparet in filiis Aharonis Nadab & Abihu, qui, legitimi aliàs Sacerdotes, extraneum suffitui adhibentes ignem, à sacro offerendi ritu recedebant & igne divinitùs exeunte consumebantur *Lev.* 10: 1, 2. innumerisque aliis exemplis. Liquidò igitur apparet, alios fuisse Sacerdotum Aharonicorum, & alios Sacrificiorum Characteres. Quanto hæc Propositio sit usui, infra patebit.

COROLLARIUM.

Christus non est Ordinis Aharonici Sacerdos; neque id evinci potest ex Sacrificio illius cruento.

Demonstratio.

Patet *prius*; Caret enim hujus Ordinis Characterismis, maximè primo ac præcipuo *Prop.* 3. quùm non sit ex familia Aharonis.

Patet *posterius*; Nam Ordinis Characteres non Sacrificii sunt, sed ipsius Sacerdotis *Prop.* 7.

Vindiciæ.

Sacrificii requisita confundens Anonymus cum Characteribus Sacerdotum, Christum non solius Ordinis Melchisedeciani facit Sacerdotem, verùm etiam Aharonici §. 27. à quo tamen Apostolus eum prorsus alienum esse affirmat *Hebr. 7:* 11. *Quid amplius*, inquit, *erat opus, alium exoriri Sacerdotem*, scilicet

Christum, *secundum Ordinem Melchisedeci*, & NB. *non secundum Ordinem Aharonis dici?* Idque demonstrat vers. 13, 14. *Nam is, de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus attendit altari; palàm enim est, ex Juda ortum esse Dominum nostrum, cui tribui nihil de Sacerdotio locutus est Moses.* Christum igitur ascribere in Ordinem Aharonis, quid aliud est, quàm in os obloqui Paulo?

Lustravimus abundè Ordinem Aharonis, nunc & in Ordinem Melchisedeci inquirendum. Antequam tamen Characteres illius recenseamus, visum est sequentia Lemmata præmittere; quæ quidem in numerum Propositionum demonstrandarum potuissent reponi, ast quia pleraque facilè conceduntur ab Adversariis, ideò ad fidem sequentibus faciendam, vel citra omnem, vel saltem operosam Probationem Geometrarum more ea proponam.

LEM-

LEMMA I.

EXtinctô Christi Sacerdotio, nemo consequitur remissionem cujuscunque peccati, sive gravioris, sive levioris, sive quoad culpam, sive quoad pœnam.

LEMMA II.

Sacrificium crucis sacrificiorum Aharonicorum antitypus est omni ratione perfectus.

LEMMA III.

Christus non intrat in Sanctuarium terrenum, Sacerdotio ibidem functurus, sive per se, sive per suffraganeos ministros. *Apostolus enim absolutè id negat Hebr.* 8: 2, 4. 9: 11, 12, 24.

LEMMA IV.

Tempus Christi morituri ita erat præfixum à Deo, ut extra illud animam ponere fas ipsi non esset.

Probatio.

Servator horam appellat & potestatem tenebrarum *Job.* 13: 27. *Luc.* 22: 53. Huc facit determinatio diei circa agnū Pesach, qui non nisi decimo quarto Nisan erat mactandus circa vesperam. *Exod.* 12: 6. quo mense & die & hora Christus, ut verum Pascha nostrum 1. *Corinth.* 5; 7. Spiritum suum tradidit in manus Patris.

Huc referenda simul est certa Christi ætas, qua animam erat positurus; quam ne anteverteret morte immatura, incidendo in hostium manus, fuga miraculosa aliquando sibi consuluit.

LEMMA V.

Christus omnes hostes suos ponet scabellum pedum suorum. *Ps.* 110: 1.

LEM-

LEMMA VI.

Dantur certa γνωρίσματα, quibus Christus distinguitur à Pseudo-Christis.

Probatio.

Eorum præcipua recensentur Articulo Fidei Christianæ secundo, & passim in Scriptura. Vid. *Matth.* 24: 5, 23, 27.

LEMMA VII.

Meritò anathemate notatur, qui aliud Evangelium propalat. *Gal.* 1: 7, 8, 9.

LEMMA VIII.

Communio Ecclesiastica jure denegatur idololatris. 2. *Cor.* 6: 16, 17.

LEMMA IX.

Imagines, quæ vel ipsæ coluntur, vel per eas sive Deus, sive Sancti, idola

LEMMA IV.

Tempus Christi morituri ita erat præfixum à Deo, ut extra illud animam ponere fas ipsi non esset.

Probatio.

Servator horam appellat & potestatem tenebrarum *Joh.* 13:27. *Luc.* 22:53. Huc facit determinatio diei circa agnũ Pesach, qui non nisi decimo quarto Nisan erat mactandus circa vesperam. *Exod.* 12:6. quo mense & die & hora Christus, ut verum Pascha nostrum 1.*Corinth.* 5:7. Spiritum suum tradidit in manus Patris.

Huc referenda simul est certa Christi ætas, qua animam erat positurus; quam ne anteverteret morte immatura, incidendo in hostium manus, fuga miraculosa aliquando sibi consuluit.

LEMMA V.

Christus omnes hostes suos ponet scabellum pedum suorum. *Ps.* 110:1.

LEM-

LEMMA VI.

Dantur certa γνωρίσματα, quibus Christus distinguitur à Pseudo-Christis.

Probatio.

Eorum præcipua recensentur Articulo Fidei Christianæ secundo, & passim in Scriptura. Vid. *Matth.* 24: 5, 23, 27.

LEMMA VII.

Meritò anathemate notatur, qui aliud Evangelium propalat. *Gal.* 1: 7, 8, 9.

LEMMA VIII.

Communio Ecclesiastica jure denegatur idololatris. 2. *Cor.* 6: 16, 17.

LEMMA IX.

Imagines, quæ vel ipsæ coluntur, vel per eas sive Deus, sive Sancti, ido-

la ſunt. *Exod.* 20: 4. *Deut.* 4: 15, 16. *Vid. Vindicias Prop.* 37.

LEMMA X.

Species ſacrificii figurantis externa non infert neceſſariò eandem ſpeciem ſacrificii figurati externam.

Probatio.

Concedent id facilè Pontificii, utpotè quibus agnus Paſchalis cruentus, typus eſt Euchariſtiæ, quatenus illa ipſis eſt Sacrificium Chriſti incruentum ſub ſpecie panis & vini; *Bellarm. Lib.* 1. *de Miſſa Cap.* 7. *& alii.*

LEMMA XI.

Sacrificia Veteris Teſtamenti, præcipuè cruenta, remiſſionem peccatorum ſuo modo & procurabant & applicabant.

LEM-

LEMMA XII.

Quæ in typo ſunt conjuncta, malè ſeparantur in antitypo.

LEMMA XIII.

Melchiſedek, ex quo deſiit eſſe in terris, nec per ſe obtulit, nec per miniſtrum.

LEMMA XIV.

Qui Aharonidarum vitio corporis laborabant, Hebræis בעלי מום appellati, prohibebantur ab altari. *Lev.* 21: 18. *ſ.*

LEMMA XV.

Animal heterogeneum, Hebræis appellatum כלאים, ineptum erat altari.

Pro-

Probatio.

Qua de re ita habet Moſes Ægyptius *Iſſure Miſbeach Cap. 3: v. 4.* כלאים ויוצא דופן ומחוסר זמן פסולים אף על פי שאין בהם מום שנאמר שור או כבש או עז עד שיהיה כל מין ומין בפני עצמו לא שיהיה מערב מכבש ועז: *Animal heterogeneum & exiens ex latere*, hoc eſt, quod non ex matrice, ordinario partus loco, egreditur, *& quod juſtam ætatem non attigit, reproba ſunt, etiamſi vitium in iis ſit nullum; ſicut ſcriptum eſt: bos aut ovis aut capra. Ità ut quælibet ſpecies ſit per ſe ipſam, non mixta ex ove & capra.* Imò Lex heterogeneum non tantùm rejicit ab altari, ſed id inſuper vetat, non tantùm in animantibus, verùm etiam in agro & veſtimentis *Lev.* 19: 19. *Deut.* 22: 9, 11.

LEMMA XVI.

Nec minus reprobum erat id, quod habebat ſpeciem alienam, quod He-

Hebræi נרמה vocant. v. g. ovis habens ſpeciem capræ.

Probatio.

De hoc vitio idem Autor, Libro & Capite mox citatis *verſ.* 5. הנרמה אף על פי שלא כלאים הרי הוא פסול כיצד רחל שילדה כמין עז ועז שילדה כמין כבש אף על פי שיש בו מקצת סימנים האיל והוא דומה למין אחר פסול כבעל מום קבוע שאין לך מום קבוע גדול מן השינוי : *Animal ſub aliena ſpecie, etiamſi non ſit heterogeneum, ecce illud eſt rejectaneum; ut ovis pariens juxta ſpeciem capræ, aut capra pariens juxta ſpeciem ovis, quamvis quoad quædam ſigna ſit aries, & ſimilis tamen eſt alteri ſpeciei, reprobatur, non ſecus ac id quod vitio fixo laborat; eò quod nullum majus ſit vitium permanens, ac iſta variatio* ſeu diverſitas, qua capra differt ab ove, cujus ſpeciem externam tamen imitatur.

LEMMA XVII.

Similiter, quod erat מחוסר זמן h. e. ju-

justam suam ætatem nondum attigerat, non admittebatur ad altare.

Probatio.

Extat Lex Divina de agno Paschali, ut sit בן שנה *anniculus Exod.* 12:5. infra illam ætatem erat מחוסר זמן, quamvis Judæi hanc legem corruperint suis traditionibus, qui agnum octo dierum Paschati aptum fuisse docent. Sic Bar Maimon *Maase Korbanoth Cap.* 1: *v.* 12. Quod verò octo dies nondum attigerat, hoc ipso rejiculum erat; Idem ibidem ex *Lev.* 22:27.

LEMMA XVIII.

Rejectaneum pariter erat, quod excedebat ætatem à Lege definitam.

Probatio.

Lex puerperam jubet agnum afferre בן שנתו *anniculum Lev.* 12:6. Quæ victi-

victimæ ætas quàm exactè fuerit observata, Maimonides loquatur *Maase Korbanoth Cap.*1: 13. כיצד קרבן שמצותו להיות בן שנה אם הוסיף על השנה שעה אחרת נפסל אפילו היה בן שנה בשעת שחיטה והוסיף על השנה בשעת זריקה נפסל עד שיהיה בן שנה עד שעת זריקה וכן בכל הזבחים: *Quomodo comparatum est cum victima, de qua præceptum est ut sit annicula? si anno superaddat horam unam, rejicitur. Etiamsi annum agat horâ mactationis, annum vero excedat horâ adspersionis, reprobatur. Ita ut annum agere debeat usq. ad horam aspersionis. Et sic in omnibus sacrificiis.*

LEMMA XIX.

Quæcunque res idololatriæ destinata, quam Judæi מוקצה appellant, abominanda erat in ara.

Probatio.

Docet hoc sæpius laudatus Hebræor. Magist. *Issure Misbeach Cap.*3: *v.*6. הרובע והנרבע והמוקצה לעבודת כוכבים ומזלות והנעבד

והנעבד אף על פי שהן מותרין באכילה הרי הן פסולין לגבי המזבח שנאמר כי משחתם בהם כל שיש בו השחתה פסול :

Animal iniens & initum v.g. bos iniens fœminam humanam, & jumentum fœmineum initum à viro; *Et id quod destinatum est idololatriæ, & quod cultu idololatrico jam fuit affectum, etiamsi ea comedere sit licitum, repudiantur tamen ab altari; sicut dicitur: quoniam corruptio est in illis. Omne id, in quo est corruptio, reprobum est.* Locus allegatus extat *Lev.* 22: 25. ex quo rectissimè conficitur, quod Auctor intendit.

LEMMA XX.

Execrandum erat crimen, alii sacrificare præterquam Jehovæ. *Exod.* 22: 19.

LEMMA XXI.

Sacrificium in idolæo oblatum, hoc ipso nomine erat vitiosum.

Pro-

Probatio.

De loco offerendi Sacrificii explicatis verbis cavet Lex Divina. *Quicunq; è familia Israëlis jugulaverit bovem aut agnum, aut caprum in castris; aut quisquis jugulaverit extra castra, si ad portam tentorii conventus non adduxerit illam, oblaturus oblationem Jehovæ ante tabernaculum Jehovæ: Sanguis imputator viro illi, sanguinem effudit, quapropter exscindetur vir ille è medio populi sui. Lev.* 17: 3, 4. Si igitur excidium meretur, qui offert tantùm in agro, ut dicitur vers. 5, quid merebitur ille, qui sacrificaturus ingreditur idolæum, cui nulla cum Templo Dei est communio?

Si Maimonidi credimus, ratio, cur Deus cultum uni affixerit domui, est perversa gentium consuetudo, quâ in idolæis sacrificia offerre consueverunt. Quo more ut populum Israëliticum absterreret construi jusserit Sanctuarium, ut in eo solo sibi victimæ mactarentur. Ità enim habet in *More Nebo-*

chim part.3: Cap.32. היה המנהג המפורסם בעולם כלו שהיו אז רגילין בו והעבודה הכוללת אשר גדלו עליה להקריב מיני בעלי חיים בהיכלות ההם אשר היו מעמידים בהם הצלמים ולהשתחוות להם ולקטר לפניהם והעובדים הפרושים היו אז האנשים לעבודת ההיכלות ההם....ומפני זה השאיר ה׳ מיני העבודות ההם והעתיקם מהיותם לנבראים ולענינים דמיוניים שאין אמתות להם לשמו יתעלה וצוונו לעשותן לו יתעלה וגו׳ :

Obtinuit mos celebratissimus in universo Mundo, cui homines tunc temporis assueti, & cultus universalis, cui innutriti fuerunt, offerendi animantium species in iis templis, in quibus imagines collocarant ad procumbendum & suffitum faciendum coram illis. Segregati autem sacrorum ministri erant homines ad servitium illorum templorum constituti....... Et propterea reliquas Deus fecit horum cultuum species, & transtulit eas ad nomen suum, quod gloriâ est extollendum, ne ampliùs essent creaturarum & rerum sub imaginationem cadentium, quibus nulla veritas inest: Et præcepit nobis exhibere illas sibimetipsi, qui

lau-

laudibus efferatur; & construere Sanctuarium sibimet, ut scriptum est: Et facite MIHI Sanctuarium. *Item, ut altare sit nomini ipsius*: Altare ex terra facies MIHI. *Et ut Sacrificium sit ipsius*; Homo quùm admoverit ex vobis Sacrificium JEHOVÆ. *Præterea, ut procumbamus & suffitum faciamus coram ipso, monens, ne quid ex iis rebus & operibus faciamus, nisi sibimetipsi.* Sacrificans alii præterquam JEHOVÆ, execrationi subjaceto &c. Ne procumbas coram Deo alieno. *Denique separavit sibi Sacerdotes ad Sanctuarii cultum, dicendo*: Et accedent ad ME.

An gratiam mihi habituri sint Romanenses, nescio, quod transcribendo prolixiorem hunc locum, tàm dilucidè ostenderim Iconolatriæ suæ cùm antiquitatem, tùm latissimam in universo Orbe diffusionem. Illius Originem in primis Ecclesiæ Christianæ seculis anxiè quærere posthac opus non est, quùm de-

monſtraverim, quod ante ipſius etiam Moſis tempora obtinuerint in univerſo Gentiliſmo.

Docemur præterea hoc loco: I. Tempus eſſe reformandi, dum imagines ubique collocantur in templis & proſtratione ac ſuffitu coluntur.

II. Partem reformationis eſſe, homines avocare ab imaginum cultu, & idolæis ad templum Dei.

III. Cultum verè reformatum eſſe illum, qui ſoli Deo defertur, non Sanctis aut quibuſcunque rebus creatis.

LEMMA XXII.

Verba S. Cœnæ: Hoc eſt corpus meum, Grammaticè accepta, indicativa ſunt, non imperativa.

Probatio.

Non enim legimus Eſto, ſed Eſt. Non quid fieri habeat, jubent, ſed, quid jam ſit, monſtrant.

LEM-

LEMMA XXIII.

Actus oblationis ultra tempus definitum dilatus, reprobum faciebat ipsum donum offerendum.

Probatio.

Agnum Paschalem mactare non licebat ultra diem decimum quartum mensis Nisan, nisi ob gravem causam dispensaretur. Lex enim certum præcisè diem definit. *Exod.* 12: 2, 3. Puerpera injunctas sibi à Lege victimas offerre tenebatur במלאות ימי טהרה *quùm impleti essent dies purificationis ejus*; differre autem ultra diem trigesimum tertium, si filium pepererat; aut ultra sexagesimum sextum, si filiam erat enixa, minimè licebat *Lev.* 12: 4, 5, 6.

LEMMA XXIV.

Sacrificium præcedens imperfectionis arguitur à subsequente, non contra *Hebr.* 10: 1, 2.

PROPOSITIO VIII.

Primus Ordinis Melchiſedeciani Character eſt, eſſe Regem ſimul & Sacerdotem.

Demonſtratio.

Hoc conficit Apoſtolus ex nomine & titulis: מלכיצדק enim notat *Regem juſtitiæ*; & cùm præterea inſigniatur titulo מלך שלם, Apoſtolus id interpretatur *Rex pacis verſ.* 2. Sacerdotium quod attinet, expreſsè id ipſi tribuitur à Moſe *Gen.* 14: 18, & Davide *Pſal.* 110: 4. Eſt igitur & Rex & Sacerdos; aliter ac in Sacerdotio Aharonis obtinebat, ubi Regi ex familia Davidis ad aram facere non licebat: ut patet ex Uſſiæ hiſtoria, ideò lepra percuſſi, quòd in jura Aharonidarum involaret 2. *Chron.* 26: 16. *ſeq.*

Vin-

Vindiciæ.

Quærit ex me Moguntinus, quid voce Regis intelligi velim? Respondeo; Si ipsum Melchisedecum intuearis, quis fuerit & qualis Rex, dudum monui in *Genio Missæ in fine Prop.* 8. hanc quæstionem non magnoperè ad scopum facere hujus argumenti. Sufficit generalior illa notio; Regem fuisse, idque verè ac propriè, h. e. habuisse populum suis legibus parentem, cujus ipse fuerit Caput & supremus Legislator. Si verò antitypum respicias, necesse est, illum Melchisedeco conformari quoad hunc Characterem, *juxta Defin.* 5. hoc est, verè ac propriè Regem esse, & populum habere, cujus ipse verus ac summus sit Dominus. Quod in Christo non tantum verum est ratione Spiritus æterni, juxta quem est Filius Dei & cum Patre idem Rex atque Dominator, sed etiam ratione carnis, juxta quam Regiæ est prosapiæ, quippe Filius Davidis *Roman.* 1: 3. *Matth.* 22: 42. & popu-

populum peculii sibi acquisivit *Ps.* 110: 3. *Tit.* 2: 14. Cujus ipse est Dominus *Rom.* 14: 9. & Caput *Eph.* 1: 22. Ità placuit Deo in Melchisedeciano Ordine conjungere cum Sacerdotio Regnum, quæ in Aharonico erant divisa, dum Levi cidaris, Judæ verò cessit corona.

PROPOSITIO IX.

Secundus Ordinis Melchisedeciani Character est, esse unicum Sacerdotem.

Demonstratio.

Liquet hoc ex oppositione, quam facit Apostolus inter Ordinem Aharonis & Melchisedeci *Hebr.* 7: 23, 24. Ille plures admittit Sacerdotes, hic non item. Causas verò exponit, cùm eodem versu, tùm *v.* 3. in quo Melchisedek introducitur, ut ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Attendenda est hîc oppositio inter utrum-

utrumque Sacerdotii Ordinem. In Aharonico erant deceſſores ac ſucceſſores; Patribus morte decedentibus ſuccedebant filii. Hinc & communi reliquorum mortalium lege naſcebantur ac denaſcebantur; ex patribus matribusque progenerabantur filii, qui propterea longa ſerie recenſentur in Genealogia Aharonis, & natalium jure ſacerdotium habebant, filiis naturali ſerie Patri defuncto ſuccedentibus.

Cur igitur in Ordine Aharonico plures erant Sacerdotes, cauſa erat

I. Communis naſcendi ſors ex Patre & Matre.

II. Parentum & filiorum mortalitas; quod Apoſtolus νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς appellat *v.* 16.

Has cauſas ab Ordine Melchiſedeci longiſſimè removet Apoſtolus, ut, ſublato omni pluralitatis fundamento, unicum hujus Ordinis eſſe Sacerdotem evinceret. Prior removetur ratio, dum Melchiſedek aſſeritur ſine patre, matre, & Genealogia h. e. poſteritate. Poſterior autem, dum inducitur, ut vi-

vens ſine initio ac fine: Vid. etiam *v.* 8. Remotis igitur ab Ordine Melchiſedeciano omnibus cauſis, quæ Sacerdotum pluralitatem in Ordine Aharonico inferebant, conſequens eſt, nullum in eo pluribus uno Sacerdotibus locum concedi.

PROPOSITIO X.

Tertius Ordinis Melchiſedeciani Character eſt, eſſe æternum Sacerdotem.

Demonſtratio.

De hoc jam ſumus locuti occaſione Characteris ſecundi. Exprimit illum diſertè Pſalmus: *Tu es Sacerdos in æternum juxta Ordinem Melchiſedek Pſal.* 110: *verſ.* 4.

SCHOLIUM.

Notandum, æternitatem hîc non tantùm allegari eam, quæ *à parte post*, verùm etiam quæ *à parte ante* solet appellari & solius Dei αὔχημα est; *Hebr.* 7: 3, 8. nimirùm, ipsa Dei existentia, quatenus illa ex omni-sufficientissima Dei essentia necessariò sequi concipitur.

Vindiciæ.

Negat Moguntinus ullam *Hebr.* 7: 23, 24. fieri mentionem Sacerdotii unici, sed tantùm æterni. Atqui oppositio manifestò id evincit. Οἱ μὲν, de Aharonicis loquitur; πλείονές εἰσι γεγονότες ἱερεῖς; & statim dicit de Christo; ὁ δὲ ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην. Opponit Apostolus Sacerdotio plurium, qui in Ordine Aharonico erant, Sacerdotium Christi ἀπαράβατον. Ergo vel oppositio

positio est nulla, vel perpetuitas illa unicitatem involvit, quæ pluralitati possit opponi.

Secundò pertendit, Apostolum non loqui de pluralitate Sacerdotum simultanea, sed successiva; ideoque Ordinem Melchisedeci respuere quidem Successores atque Collegas, minimè verò subdelegatos ministros, quales Sacrificuli Romani se esse profitentur.

Respondeo, loqui Apostolum de utraque; nam Aharonidæ plures erant & simul eodem tempore, & insuper successivè, altero alteri succedente. Interim successivæ pluralitatis ratio hîc, fateor, tantùm allegatur Sacerdotum fragilitas, juxta quam defunctus locum successori faciebat. Illum verò simultaneam, juxta quam plures simul in Ordine Aharonico erant Sacerdotes, exclusam nolle, ex hoc manifestum est, quia Melchisedecum non tantum ἀγενεαλόγητον h. e. prole carentem, quæ in Aharonico Ordine Sacerdotum pluralitatem inferebat, verùm etiam in suo Ordine solitarium inducit, & ità unicum, ut non

tan-

tantùm esset ἀδιάδοχος omnemque respueret successorem, sed & nullum admitteret sive Collegam sive suffraganeum ministrum, qui sui Ordinis Sacerdos appellari meruerit; Quod è diametro repugnat ei, quod Adversarius causatur, nimirum in Aharonico Ordine Sacerdotes admitti substitutos, qui nomine alterius obeant Ministerium Sacerdotale.

Dicet forsan, taceri quidem Melchisedeci Ministros, attamen non expressis verbis removeri. Sed cogitet, velim, ipsum silentium Scripturæ circa prodigiosum hunc Virum esse μυστηριώδες, & spirituali δηλώσει plenissimum. Ità ergò præcisè considerandus est nobis, prout à Paulo inducitur; nimirum, ut singularissima & admodùm mirandis Characteribus insignita persona.

COROLLARIUM.

Sacerdotii perpetuitas non requirit perpetuam Sacrificii oblationem, neque

neque per Sacerdotem Principem, neque per ſuffraganeos Miniſtros.

Demonſtratio.

Cùm enim Melchiſedek ſit perpetuus Sacerdos *juxta Propoſ. præced.* nec tamen, ex quo deſiit eſſe in terris, obtulerit, nec per ſe, nec per Miniſtrum *Lemm.* 13. manifeſta eſt Corollarii veritas. Quocunque igitur modo explicetur Sacerdotii ipſius perpetuitas, ratum eſt, ad eam perpetuitatem non requiri, ut vel ipſe Sacerdos offerat in perpetuum, vel id agat per vicarios quoſcunque.

PROPOSITIO XI.

Quartus Ordinis Melchiſedeciani Character eſt, eſſe Sacerdotem ἀπαράβατον.

Demon-

Demonstratio.

Liquet hoc ex oppositione: *Lex*, inquit Apostolus, *homines constituit Sacerdotes*, *infirmitatem*, scilicet peccati, *habentes*; *sermo autem jurisjurandi*, (quo quis constituitur Sacerdos juxta Ordinem Melchisedek *Psal.* 110: 4.) *Filium constituit in æternum consummatum* & ab omni peccato remotissimum. *vers.* 26, 27, 28.

Vindiciæ.

Verba parentheſi incluſa in præcedenti Demonſtratione, nimirum (quô quis conſtituitur Sacerdos juxta Ordinem Melchiſedek) in Scriptura non extare, ſed de meo me infarſiſſe, cauſatur Moguntienſis. Pertendit enim, Davidem & Apoſtolum non de quovis Melchiſedeciani Ordinis Sacerdote loqui, ſed tantùm de Summo, nimirum Filio Dei, qui jura-

juramento Patris ſit deſignatus : Reliquos verò omnes, utpote ipſius Miniſtros citra ſolennem iſtiusmodi jurisjurandi formulam poſſe Sacerdotio inaugurari.

Reſpondeo, ſermonem quidem eſſe de ſolo Dei Filio, ut Sacerdote juxta Ordinem Melchiſedeci, qui juramento Patris talis eſt publicè compellatus atq; renunciatus. An verò is alios ejusdem ſecum Ordinis admittat Miniſtros, infrà fuſiùs diſquiretur. Interim Apoſtolus non Summum ſemper Sacerdotem nuncupat Filium Dei, ut Adverſarius non ex verô obſervat, ſed & ſepties ſimpliciter Sacerdotem appellat, quò intelligeres, eum ità Sacerdotem eſſe Summum, ut tamen ſui Ordinis unicus omninò eſſe non ceſſet.

Circa Ordinum Characteres notari velim I. Eos non ſingulos, ſed univerſos eòſque ſimul ſumptos debere conſiderari, non ſecus ac circa Notas Eccleſiæ obſervat Moguntinus *Lilio inter ſpinas.* Quo ſolo in auram abeunt omnia, quæ Anonymus affert contra hos Characteres.

racteres. Ubi tamen silentio præterire non possum crassissimam Scripturæ ignorantiam, quam prodit §. 21. *Prop.* 1. dum in eo non tantùm Salomonem facit Sacerdotem (quod, ne vitium typographi esse credas, repetit *Prop.* 2. ejusdem §. vocando eum Regem & Sacerdotem) verùm etiam, quod γενεαλογεμένες ἐκ τῶ Ισραὴλ eosdem faciat cum γενεαλογεμένοις ἐκ τῶ Ααρών, quasi verò omnes Israëlitæ fuerint filii Aharonis, aut quasi Israël & Aharon non fuerint distinctæ personæ. Quibus si addas, quod Christum faciat non solius Ordinis Melchisedeciani Sacerdotem & per consequens etiam Aharonici §. 27. contra expressum testimonium Scripturæ *Hebr.* 7: 11, specimen habes in Catholico hoc Sacerdote non unum sed tria, ex quibus de reliquis ejus dotibus statuere queas. Dignus certè, qui non infimum occupet subsellium in Choro Sacerdotum, quorum labia observent scientiam, & Lex requiratur ex ore ipsorum, ut ipsemet gloriatur §. 38. ex *Malach.* 2: 7. Hi scilicet egregii sunt fru-

ctus praxeos Romanæ, quâ juventutem, etiam eam quæ Sacro Ministerio est destinata, arcent à lectione Scripturarum, vel certè ipsis non commendant, ut à puero eas discant cum Timotheo 2. *Tim.* 3: 15.

II. Ordinem Aharonicum unà cum suis Characteribus omninò arbitrarium fuisse Deo, non secus ac universa Lex, quæ in placitis consistebat. Melchisedecianum verò, etsi qua typicus est, prorsús potuisset omitti, attamen dum placuit Deo eum eligere in typum Christi Sacerdotis exemplarem, non potuit insigniri iis Characteribus, qui Christum figurarent ut Sacerdotem non æternum, non Unicum, non Regem, non immunem ab omni peccato. Sic enim typo & normæ non convenisset cum antitypo atque normato. Unde quid de Characteribus in Christo sit statuendum, apparet.

PRO-

PROPOSITIO XII.

Ordo Melchiſedecianus longè excellentior eſt Aharonico, imò omnium præſtantiſſimus atque perfectiſſimus.

Demonſtratio.

Patet priùs ex Characteribus utriusq; collatis. Nec minùs poſterius; quùm enim duo tantùm ſint Ordines *Prop.* 1. Ordoque Melchiſedecianus ſit excellentior Aharonico, *juxta prius membrum hujus Prop.* conſequens eſt, ipſum eſſe omnium præſtantiſſimum & perfectiſſimum. Quod etiamnum confirmatur tertio potiſſimùm Charactere nimirum æternitate, quæ omnes omnino perfectiones, eaſque ſummas & omninò divinas involvit, *Schol. Propoſ.* 10.

COROLLARIUM. I.

Qui juxta Ordinem Melchiſedek eſt Sacerdos, perfectiſſima ratione eſt Sacerdos.

SCHOLIUM.

Dum de perfectione Ordinis Melchiſedeciani loquor, hoc volo

I. Fuiſſe Melchiſedecum ſingulariſſima ratione, איש מופת *Virum typicum*, ut Apoſtolus *Hebr.* 7: toto & ſpeciatim *verſ.* 3. oſtendit; hoc eſt typum ſimul atque normam, (quod indicat phraſis, *ſecundum Ordinem Melchiſedek*) cui Chriſtus intra eundem Ordinem quoad perſonæ ſuæ Characteres debebat conformari. Longè aliter ac Aharon, qui Chriſti quidem erat typus, minimè autem Exemplar atque norma, quùm Chriſtus Aharonici Ordinis non fuerit Sacerdos *Coroll. Prop.* 7.

II. Characteres ipſius typicos atque exemplares ità eſſe comparatos, ut correſpon-

respondens antitypus atque normatum, ſeu, ut barbarè loquar, exemplatum, in quo illi Characteres inveniuntur verè ac ſolidè, neceſſariò ſit perfectiſſimus atq; omnibus numeris abſolutiſſimus Sacerdos.

Adverte hîc, Ordinis vocabulum junctam ſimul habere ideam Dignitatis, & Honoris, qui Munus Sacerdotale & perſonas eo fungentes comitatur. Apoſtolo vocatur τιμὴ καὶ δόξα *Hebr.* 5: 4, 5. Manifeſtum hoc eſt ex indole Sacerdotii, utpote quod notat acceſſum ad Deum præ aliis propiorem. *Exod.* 19: 22. *Levit.* 10: 3. *Num.* 16: 5. Unde & Sacerdotes Titulum gerunt, qui tribuitur iis, qui proximi ſunt Regi & כהנים appellantur, 2. *Sam.* 18: 18. collato cum 1. *Chronic.* 18: 17. Non abludit vocabulum Græcum τάξεως; notat enim conditionem hominum pro re nata vel vilem & abjectam, vel etiam in honore habitam; Hinc τάττεσθαι εἰς ἄνδρας, adſcribi in Ordinem, h. e. Dignitatem virorum; θεραπαίνης τάξιν ἐπέχειν famulæ locum obtinere; Et Summus in Theſſa-

lia, Magiſtratus ταγὸς appellabatur, unde ταγιύειν ſummo Magiſtratu fungi; Præterea τὸ ὑππικὸν τάγμα Ordo equeſtris & id genus alia : Galli hunc ſenſum commodè, ni fallor, exprimerent : *Selon le Rang de Melchiſedek*, juxta Phraſes ipſis familiares ; Mettre au rang, tenir ſon rang, le premier rang, &c. Prout igitur Aharon cum filiis eminebat ſupra vulgus Iſraëlis, ità Melchiſedek major ac præſtantior erat Abrahamo ac Aharone, qui cum ſobole ſua erat in lumbis Abrahami *Hebr*. 7: 4—7.

COROLLARIUM II.

Ordo Melchiſedecianus nullos admittit Dignitatis gradus. *Patet ex Charactere tertio, nimirum æternitate, Prop.* 10. *& Schol. ejus.*

SCHO-

SCHOLIUM.

Dignitas Sacerdotii Aharonici intra latitudinem quandam consistebat, ità ut inter Pontificem & gregarium quemvis Sacerdotem intermedii essent quàm plurimi Gradus officiorum atque Dignitatum *juxta Schol. Prop.* 4. Contrà autem Melchisedecicus Ordo, quia Characterem requirit omninò divinum, infinitæ atque omnium supremæ est Excellentiæ atque Dignitatis, quæ, quod vel minimum vel medioxumum est, nullatenus admittit.

COROLLARIUM III.

Hinc rursùs sequitur, Ordinis Melchisedeciani Sacerdotem unicum tantùm esse, ità ut plures dari æquè repugnet, ac plures esse Deos.

Demonstratio.

Ordo Melchiſedecianus Characterem requirit proprietatem merè divinam, æternitatem ſcilicet, principio ac fine carentem. *Prop.* 10. *& Schol. ejus.* Ergò Sacerdos hujus Ordinis neceſſariò eſt verus ac ſummus Deus, & per conſequens, ut implicat plures dari Deos h. e. Entia ſummè perfecta, ſic etiam plures uno eſſe hujus Ordinis Sacerdotes.

COROLLARIUM IV.

Sacrificium, quod offert Melchiſedeciani Ordinis Sacerdos, eſt omnium perfectiſſimum. *Qualis enim eſt Sacerdos, tale eſt Sacrificium, Axiom. I.*

PROPOSITIO XIII.

Sacrificium propitiatorium, quod offert Ordinis Melchiſedeciani Sacerdos,

cerdos, unicum tantùm esse potest.

Demonstratio.

Quùm enim ejusmodi Sacrificium perfectissimum sit *Prop. præc. Coroll.* 4. perfectè propitiabit Deum iratum. Porrò autem, quia Deus non propitiatur, nisi iratus *Axiom.* 3. nulli alii Sacrificio propitiatorio, præter unicum hoc, locus esse potest. Unicum dico, tàm respectu oblationis, ità ut ea repeti non possit, quàm respectu victimæ & doni oblati. Demonstratio enim allata utrumque ostendit.

PROPOSITIO XIV.

Characteres Ordinis Melchisedeciani, non Sacrificii, sed Sacerdotum sunt requisita.

prolatio Sacrificium, nec ne, nullâ tamen ratione poteſt eſſe Ordinis Melchiſedeciani Character.

SCHOLIUM

Detegens præcipuum fontem erroris.

Hîc detegere licet præcipuum fontem erroris, in quem Romanenſes de Sacrificio Miſſatico ſunt lapſi; qui eſt, *confundere Sacrificiorum qualitates cum Characteribus Sacerdotum.* Hinc factum, ut panis & vini prolationem intuentibus, ut Characterem, quo Melchiſedecianus Ordo diſcriminatur ab Aharonico, ad complementum iſtius typi confingendum fuerit Sacrificium Chriſti incruentum ſub ſpecie panis & vini. Cui errori ut medeamur, victimæ & Sacerdotis Characteres ſolicitè cum Scriptura ſunt diſtinguendi, ut *Def.* 5, 6. *Axiom.* 7. *& Propoſ.* 7. *&* 14. fuſiùs oſtendi.

Ubi

Ubi insuper apprimè notandum est, afferri à Scriptura istius generis Characteres, qui vocantur *à priori*, h. e. qui Sacerdoti inesse debent, præcipuè ab ortu, antequam vel in Ordinem admitti vel officio suo fungi legitimè queat, *per Defin.* 6. Qui ideò necessariò contradistinguendi sunt qualitatibus Sacrificiorum, utpote naturæ Ordine, si non tempore, posterioribus ipso Sacerdote *per Axiom.* 7. Aliàs facilè concedo, posse & Ordines Sacerdotum *à posteriori* describi; ubi & victimarum qualitates & varia offerendi ratio veniunt in censum. Sed hoc minimè fieri potest, ubi de Ordine Sacerdotali à priori describendo sermo est.

Vindiciæ.

Hæc licet luce meridiana sint clariora, nihilominùs tamen pertendunt Adversarii, Ordinis vocabulum comprehendere modum offerendi; Quod Moguntiensis probare conatur ex Versione

Luthe-

Lutheri, utpote qui *verſ.* 4. *Pſalm.* 110: vertit die Weiſe Melchiſedek / *modum Melchiſedeci.* Aſt violentum nimis eſt, id trahere ad Sacrificium, quod Heros ille de ipſo tantùm dicit Sacerdote.

Inſtructior contra me inſurgit Anonymus, nec ſine Geometrico apparatu. Ubi ante omnia pectinem meretur *Poſtulatum* 2. Eſt autem tale: *Uterque Ordo ſacrificandi ſecundum Aharon & Melchiſedech ſupponit Sacrificium.* Addit ſimul rationem: *Quomodò enim ſit Ordo ſacrificandi ſine Sacrificio, & ſpecies ſine genere?*

Reſpondeo, hoc poſtulatum, prout his terminis eſt conceptum, hoc eſt, quatenus Ordo notat ritum & ſpeciem Sacrificii, mihi inſtar Axiomatis eſſe, quod tamen neutiquam ſententiæ meæ obeſt: Sed video, quid imponat Adverſario, nimirùm, quòd confundat modum ſacrificandi cum Ordine Sacerdotum, quæ confuſio πρῶτον ψεῦδος eſt, & manifeſta falſatio Scripturæ, ex qua illi termini ſunt deprompti. Ubi enim Legis Ordinem ſacrificandi? Legis verò Ordinem

dinem Aharonis & Melchiſedeci, hoc eſt Sacerdotum, non Sacrificiorum; Imò nec unquam per conſequentiam elicies ex Scriptura, Sacerdotum Ordines comprehendere modos offerendi. Corruptis igitur ſimplicibus terminis, quid ſani ſenſus reliquum erit in ipſis Propoſitionibus, quæ ex iis vel à Scriptura jam ſunt formatæ, vel à nobis per neceſſariam conſequentiam adhuc formandæ? Non poteſt enim non, quod circa illos committitur vitium, eâdem operâ in has derivari.

Formemus igitur aliter tuum Poſtulatum, & quidem hôc modô: *Ordo Sacerdotalis uterque, & Aharonis & Melchiſedeci, ſupponit Sacrificium*; Quo ſenſu falſitatem ejus ſuprà jam demonſtravi. Prout enim cauſa prior eſt cauſato, ejuſque affectiones affectionibus cauſati, ſic Sacerdos ejuſque requiſita priora ſunt Sacrificio ejuſque requiſitis *per Axiom.* 7. Non igitur Sacerdotes eorumque Ordo ſupponit Sacrificium, ſed contrà Sacrificium, quod ipſimet offerunt, ſupponit Sacerdotes & Ordinem

dinem Sacerdotum. Ritus Sacrificiorum ergò non conſtituunt Ordines Sacerdotum, ſed eos Characteribus ſuis jam conſtitutos conſequuntur.

Hinc perſpicuum eſt, quid reſpondendum ſit ad *Poſtulatum* 4. Nimirum quòd perſona, à qua Ordo denominatur, ſit exemplar reliquorum ſui Ordinis Sacerdotum, ſive unius ſive plurium, qui Capiti Ordinis quoad certos perſonæ Characteres, eoſque præcipuè, quos ab ortu habent, conformari debuerunt, *juxta Defin.* 5. *&* 6. Falſa igitur eſt Propoſitio tua I. *Ordo Aharonicus dicitur talis ex eo, quod eo Ordine Aharon ſacrificarit.* Item II. *Ordo Melchiſedeci dicitur talis, quod eo Ordine Melchiſedek in perſona ſacrificarit.*

Contrà Aharon ac Melchiſedek Capita ſunt, ſui quiſque Ordinis, quia uterque Characteribus quibuſdam indigitatis à Spiritu Dei conſpicuus fuit, ipſique quoad perſonas ſuas hiſce Characteribus inſignitas, electi

electi sunt à Deo atq; designati in exemplaria, quibus alii ejusdem Ordinis consortes necesse habebant assimilari. Et hac ratione ambo Sacerdotum Ordines sunt constituti & simul à Capite atq; Exemplari suo denominationem sortiti.

Ritus Sacrificiorum, quod attinet, jam sæpius ostendi, quod Ordinum non sint constitutivi, sed potius consecutivi. Idque ampliùs patet ex absurdis quàm plurimis, quæ inde sequerentur. *Primò* enim hac ratione Christus ascriberetur in Ordinem Aharonis. Si enim attenditur ritus offerendi & Sacrificii forma, ea, utpote cruenta, comperitur Aharonicis esse conformis. Christum autem Aharonici Ordinis esse, è diametro contrarium est Scripturæ, *juxta Coroll. Prop.* 7. *& Schol. ejus.* Vide *Hebr.* 7:11.

Secundò, ipsimet Aharonidæ simul essent Melchisedeciani. Fac enim Provelationem panis & vini in censum hîc venire, ut Sacrificium Ordinis Melchisedeci constitutivum, tunc omninò ejus Ordi-

Ordinis Characterem Aharonicis facies communem, utpote quorum Sacrificium quotidianum erat panis & vinum *Exod.* 29: 40. *Num.* 28: 5. *seq.*

Tertiò sic Ordo Melchisedecianus inferior esset Aharonico *contra Prop.* 12. Sacrificia enim cruenta præstantiora erant pane & vino, utpote quæ accessoria tantùm erant, &, ut cum Bellarmino *Lib.* 1. *de Miss. Cap.* 6. loquar, quasi condimenta aliorum: ut alia incommoda nunc omittam.

Venio ad Propositionem tuam III, quæ hæc est: *Sacrificium Crucis non potest dici Ordinis Melchisedeciani.* Resp. Non potest directè & immediatè, *Concedo.* Indirectè & mediatè, *Nego.* Quid enim vetat Sacrificium ad eum referre Ordinem, cujus est Sacerdos, à quo id Sacrificium offertur? Respondeat tibi Bellarminus, loco jam allegato: *Sacrificium Crucis*, inquit, *dici potest secundum Ordinem Melchisedech, ratione ipsius Sacerdotis Christi, à quo offerebatur: Ipse enim absolutè erat secundum Ordinem Melchisedek. Quarè Apostolus Hebr.* 5: *etiam*

in ipſa Cruce Chriſtum Sacerdotem vocat ſecundum Ordinem Melchiſedek. Quæ reſponſio pariter quadrat in Propoſitionem 4.

Redeo ad Moguntinum, qui non leve momentum videns addi cauſæ noſtræ ex eo, quòd Apoſtolus ad Hebræos ex inſtituto agens de Sacerdotio Novi Teſtamenti, quùm tàm ſolicitè inculcet Ordinis Melchiſedeciani Characteres, de Sacrificio panis & vini planè ſit mutus: Videns hoc, inquam, Antagoniſta admodum deſudat, ut ſilentii hujus reddat rationem, idque in Tractatu Germanico, quem ex vero Ubelårger/ inſcribit, *Cap.* 5: Provocat ad verba ipſius Apoſtoli *Cap.* 5: 10, ubi ſermonem de Melchiſedeco vocat δυσερμήνευτον, non, ut falsò & barbarè vertit Adverſarius, *ininterpretabilem*, ſed *difficulter interpretabilem*, idque propter ſegnitiem Hebræorum.

Verum enim verò, hac difficultate non obſtante, ſermonem illum de Melchiſedeco non reticet Apoſtolus, ſed potius hortatur Hebræos, ut *miſſo initia-*

li

li Christi sermone ad perfectionem ferantur. *Cap.* 6:1. *Et id faciemus*, addit, *si Deus permiserit vers.* 3. Unde tùm, quod facere promisit, præstat ipso facto *vers. ult.* *Cap.* 6. *& seqq.* in quibus omnibus tamen ne γρῦ quidem de Missa.

Ast evadere conatur Adversarius, distinguendo inter Sacerdotium æternum & Melchisedecianum. *Paulus* inquit, *loquitur de Sacerdotio æterno, non autem Melchisedeciano.* Quis autem non videt, illum contra Solem loqui? Apostolum, ait, silentio premere Sacerdotium Melchisedeci, quùm tamen disertis verbis id faciat *Cap.* 6: *ult.* & 7:3. Ubi & Characteres Ordinis recenset, & similitudinem, quæ quoad hos Characteres Filio Dei intercessit cum ipso. Vide præterea *vers.* 11, 15, 17, 21 *ejusdem Cap.* 7.

Prætextui tamen colorem quæsivit separando ea, quæ Deus conjunxit. Quid enim? Nonne Apostolo æternitas Character est Ordinis Melchisedeciani? Ipsemet id fateris *Ver. Missæ Genio. pagin.* 33. quà fronte igitur hæc

hæc diſcerpis? Audi Apoſtolum de Melchiſedeco loquentem. *Neque dierum initium, neque vitæ finem habens, aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in æternum Hebr.* 7: 3. Vides, Apoſtolum non opponere Sacerdotium æternum ei, quod eſt Melchiſedeci; ſed ipſam Sacerdotii æternitatem diſertè facere Characterem, juxta quem Melchiſedek aſſimilatus eſt Filio Dei.

Præcluſimus jam ſuprà præcipuum, quo ſubinde confugiunt adverſarii, aſylum, nimirum, quod ab externa Sacrificii, ut putant, Melchiſedeciani ſpecie deſumunt, argumentum. Verùm, quoniam vetuſtus error eſt, altáſque in animis Adverſariorum radices egit, dum panis & vini ſpeciem, ceu eminentiſſimum Sacrificii à Chriſto offerendi typum, non impleri ajunt, niſi in antitypo ejusdem ſpeciei externæ, ideòque Chriſtum obtuliſſe ſub ſpecie panis & vini, ideò operæ pretium eſſe duco, adhuc ſequentia notare.

Et quidem (1.) quod nihil prorsùs occurrat de Sacrificio in univerſa hiſtoria Mel-

Melchisedeci, cùm ipse Vulgatus vertat: *protulit panem & vinum*; LXX. similiter, ἐξήνεγκεν ἄρτον καὶ οἶνον· Occurrit quidem aliquoties הביא de adductione victimæ; ast hoc non est ex vi vocis, sed ex circumstantiis colligitur, quæ circa הוציא *Gen.* 14: 18. nullæ comparent. Provocat quidem Bellarminus *Lib.* 1. *de Miss.* c. 6. ad verba sequentia: *Erat enim Sacerdos.* Verùm particula causalis non legitur in Hebræo, neque contextus docet, ו eam vim hoc loco habere, cùm ea potius vim simpliciter copulativam, vel adversativam requirat, minimè obstante Soph Pasuk, quem objicit Bellarminus. Ità enim LXX: ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ ὑψίστου καὶ ἐλόγησε τὸν Αβραμ, Sacerdotium allegantes ut rationem benedictionis. Qua ratione partes Orationis concinnè sibi respondent: Ut enim duplici titulo ornatur, Regio ac Sacerdotali, sic quoque duplex actio narratur; benedictio, quæ Sacerdotis; & panis ac vini prolatio, quæ Regis est *Deut.* 23: 3, 4. *Jud.* 8. 5. 2. *Sam.* 17: 27, *seqq.* Sacrificii verò, sive obtulerit

 un-

unquam, sive non, mentione nullatenus erat opus, quùm Melchisedek, tanquam sui Ordinis exemplar, ope Characterum, qui personæ ipsius, quocunque etiam modo, inerant, satis exactè exhibuerit personam Christi Sacerdotis, qui in suo Ordine ipsi respondere debeat, iisdem Characteribus insignitus. Quo fine præposterum fuisset allegare ritus Sacrificiorum, tanquam Ordinis Characteres, quùm hi ad unum omnes sint personæ, non rei, non victimæ, sed ipsiusmet Sacerdotis *Def.* 5. *&* 6. Contrà verò Aharon victimis quidem cruentatis & typus & norma erat Sacrificii Crucis, attamen ut ipse erat sui Ordinis Sacerdotum exemplar, norma non erat Christi, ut Sacerdotis intra eundem Ordinem sibi responsuri. *Schol. Prop.* 7. *Coroll.* 1. (2.) Nulla panis & vini, quoad substantiam conversio, nedum in corpus & sanguinem Christi: Imò ne minima quidem hujus mysterii, quod tamen in typo hoc specialissimo ac maximè sublimi occultandum non erat, figura comparet, vel levissima umbra. (3.) Species

cies rei figurantis externa non infert necessariò eandem speciem rei figuratæ externam *Lemm.* 10. Agnus Pesach, suo madens cruore, nonne vestro judicio figura erat Eucharistiæ? Ast quæ in illa species cruoris? Fac igitur sacrificasse Melchisedecum, offerendo panem & vinum, nullo tamen jure inde concludes. Ergo Christus etiam debuit offerre sub specie panis & vini.

Idque confirmatur ex eo, quòd victimæ Aharonidarum cruentæ, quæ omnes ad figurandum crucis Sacrificium typi rationem ac vim obtinebant, tantæ, si externam speciem intueare, fuerint varietatis, ut impossibile omninò fuerit has animantium species in Christo victima facto reperiri, nisi eum fingere velis boum, ovium, caprarum, hircorum, turturum, columbarumq; speciebus ac formis indutum eo tempore, quo in cruce pendebat. Externæ igitur hæ qualitates vel ad materiam typi tantum pertinent, non formã; vel figurant in antitypo dotes, quæ non in oculos incurrunt, sed mẽti atq; fidei conspiciendas sese præbent.

PROPOSITIO XVI.

Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedek.

Demonſtratio.

Conferamus eum *juxta Poſtul.* 3. cum utroque Ordine, & apparebit eum Ordinis eſſe Melchiſedeciani *juxta Poſtul.* 4. Omnibus enim Ordinis hujus Characteribus eſt inſignitus.

I. *Rex ſimul eſt & Sacerdos.* Talis introducitur *Pſal.* 110. Sceptrum ipſi datur cum Dominio *verſ.* 2. & populus ſpontaneus *verſ.* 3. Rex igitur eſt. Aſt ſimul Sacerdos, qualis publico Patris juramento compellatur *verſ.* 4. Jeremias præterea *Cap.* 30: 21. ab utroque ipſum Axiomate deſcribit, Regio & Sacerdotali; vocando eum Principem ac Dominatorem, quem admoturus ſit Dominus, ut accedat ad ſe; quod Sacerdotis eſt: *Num.* 16: 5. *Exod.* 19: 22. Nec obſcuriùs Zacharias ipſum in ſolio Domini

mini collocat Dominatorem Gloriosum, & simul Sacerdotem *Zach.* 6: 13. Nota hîc (1.) quod sedeat, prout & *Psal.* 110: 1. Pater ipsum sedere jubet: aliter ac Sacerdotes in Templo, quorum erat stare, ut vidimus. Quam differentiam & Apostolus observat *Hebr.* 10: πᾶς μὲν ἱερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν *v.* 11. de Christo autem statim dicit: ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ *v.* 12. Stabant illi, ut ministri, juxta illud Hebræorum אין שרות אלא בעמירה: Et Chrysostomi ad h. l. τὸ ἱστάναι τοῦ λειτουργεῖν ἐστὶ σημεῖον, οὐκοῦν τὸ καθῆσθαι τοῦ λειτουργεῖσθαι; Hic verò sedet, ut Dominus. Stabant illi multum agendo nihil consummantes *Hebr.* 7: 19. Hic vero, peracto labore *Jes.* 53: 11, consummatóque opere *Joh.* 19: 30. sedet in solio quietus *Hebr.* 1: 3.

(2.) Quod consilium pacis sit inter ipsum & Jehovam; h. e. quod Pater cum ipso pactum inierit de reconciliando sibi in sanguine ejus genere humano; quod nobis describitur *Jes.* 53: 10. Hinc non tantum Rex justitiæ est, sceptrum habens æquitatis *Psal.* 45: 7. (quæ vis nominis

minis Melchisedek interprete Apostolo *Hebr.* 7: 2.) verùm etiam Rex pacis, & Princeps pacis *Jes.* 9: 5. Imò ipsa pax *Ephes.* 2: 14. Quod ipsum vim tituli מלך שלם juxta Apostolum exponit, loco citato.

II. *Unicus est Sacerdos.* Apostolus enim illum ideò opponit Aharonidis, qui plures erant in suo Ordine Sacerdotes, ut suprà ex *Hebr.* 7: *v.* 23, 24. fusiùs ostensum Hinc igitur *Sacerdotium habet non digrediens*, sed in ipsius unius personâ ità fixum ac stabile, ut ipse stationem suam, nec deserat unquam, alio succedente, nec quempiam in hac functione admittat vel Vicarium, vel Collegam, vel quocunque nomine veniat, subdelegatum succenturiatúmve ministrum.

III. *Æternus est Sacerdos.* In eo enim quod Melchisedek introducitur, ut dierum initio ac fine carens, & manens in æternum Sacerdos, assimilatus est Filio Dei *Hebr.* 7: 3. Qui teste Apostolo *v.* 16. non secundum Legem Præcepti carnalis, quod humanæ fragilitati attemperatum,

tum, homines mortales ſacerdotio adhibebat, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου γέγονεν ἱερεύς, *juxta vim vitæ indiſſolubilis factus eſt Sacerdos* ideoque talis in æternum manet *v.* 24. Qui expreſſiſſimus Ordinis Melchiſedeciani Character eſt, ut Apoſtolus *Hebr.* 7: *v.* 17. ex *Pſ.* 110:4. oſtendit.

IV. *Denique eſt Sacerdos* ἀναμάρτητος & ab omni peccati peccantiumque contagione alieniſſimus *Hebr.* 7: 26, 27, 28. Qui quartus & ultimus Melchiſedeciani Ordinis Character eſt. Quùm igitur omnes Melchiſedeciani Ordinis Characteres conſpicui ſint in Chriſto, neceſſe eſt illum iſtius Ordinis eſſe Sacerdotem *juxta Poſtul.* 4.

PROPOSITIO XVII.

Sacrificium crucis eſt perfectiſſimum & unicum illud Sacrificium propitiatorium, quod Ordinis Melchiſe-

chiſedeciani Sacerdos offerre debebat, præter quod nullum aliud eſſe poteſt.

Demonſtratio.

Quùm enim Sacrificium, quod offert Melchiſedeciani Ordinis Sacerdos, unicum ſit *Propoſ.* 13. Chriſtus verò ſit Ordinis iſtius Sacerdos *Propoſ. præc.* neceſſe eſt Sacrificium crucis, eſſe unicum illud & perfectiſſimum Sacrificium, quod Melchiſedeciani Ordinis Sacerdotem offerre decebat.

Quod etiamnum ex eo confirmatur, quia Unicitas eſt perfectionis argumentum *per Axiom.* 4. Non vereor hoc Axioma cum Divo Paulo ad Sacrificium applicare, & id quidem, quod Adverſarii mecum perfectiſſimum eſſe fatentur Æterna certè eſt veritas; Quod perfectiſſimum eſt hoc ipſo unicum eſt. Et quod multiplex eſt, hoc ipſo imperfectum eſt, *per explic. Axiom. allegati.* Hæc demonſtratio ipſius eſt Apoſtoli,

utpo-

utpotè qui, quùm Sacrificia Aharonica ex eo quod repeterentur, arguat imperfectionis, necessariò supponit hoc Axioma: Sacrificium perfectissimum esse unicum; seu Sacrificium consummans cessare offerri *Hebr.* 10: 1, 2. Quod etiam disertè asserit de Sacrificio crucis *vers.* 14. *&* 18. Tolle autem hoc Axioma, argumentatio Apostoli omni fundamento carebit. Quâ fronte igitur scribit Anonymus §. 22. Sacrificio crucis *perfectius est Eucharisticum* Missæ, *propter modum existendi spiritualem & mirabilem*: Item, *quia sæpius repetitur* &c. Repetitio Sacrificii Apostolo arguit imperfectiònem, Anonymo autem perfectionem.

SCHOLIUM

Disertè hîc moneo, me Sacrificium crucis non facere Ordinis Melchisedeciani Characterem, sed in *Genio Missæ* id tantùm referre ad eum Ordinem, quia ipse Sacerdos, qui id offert, istius Ordinis est consors: Ideò *Definitionem*

nem 3. meditatò præmiſi in *Genio Miſſæ*, & hac de cauſa retinui in hoc libello, vide *Defin.* 4. In ipſis autem Propoſitionibus ab eo loquendi modo conſultò abſtinui. Ordo enim cum ſuis Characteribus ex inſtituto Scripturæ tantùm eſt Sacerdotum, non verò Sacrificiorum: His autem certæ Leges atque offerendi rationes aſſignantur, quas Scriptura תורות ומשפטים appellat *Levit.* 6. *ſeqq.*

Vindiciæ,

In quibus detegitur error ſecundus.

His, quæ ſuprà attulimus, conſtricti argumentis Miſſæ Patroni ad frivolam diſtinctionem, tanquam ſacram anchoram, confugiunt. Sacrificium, ajunt, *Redemptionis*, quo pretium numeratur pro redimendis animabus, unicum tantùm eſt, & perfectiſſimum, nimirum Sacrificium crucis. Aſt id non obſtat, pergunt, quo minùs Sacrificia *Applicationis*

tionis possint esse plura: qui alter, quem observo, error est, quem Missæ Assertores committunt; nimirum *divellere Redemptionem & Applicationem sacrificalem.*

Ast quid nisi infausto divortio id separant in antitypo, quod Deus conjunxit in typo? *contra Lemm.* 12. Redemptio & applicatio sunt res in Sacrificiis typicis conjunctæ, utpote quæ remissionem peccatorum suo modo non tantum procurabant lytro, verùm etiam applicabant *Lemm.* 11. fatente Adversario. *Separat. pretiosi p.* 26. Aut igitur Sacrificium Crucis antitypus non est Sacrificiorum Aharonicorum omni ratione perfectus *contra Lemm.* 2. Aut perfectissimo modo (qui *juxta Axiom.* 4. unicitatem involvit) possidet omnem illam vim, quæ ulli Sacrificio vel inest unquam vel inesse potest, *Axiom.* 6. & per consequens ipsam soluti pretii applicationem, quæ quidem ab ullo Sacrificio expectari potest.

Notanter dico *applicationem, quæ à victima peragitur*, ne quis ipsam fidem alia-

aliaque gratiæ media, quibus beneficia Christi applicamus, hoc ipso me rejicere causetur. Alia est ratio applicationis, quæ citra novam Sacrificii oblationem, & alia, quæ Sacrificio peragitur. Quo observato sic porrò argumentor.

Applicatio sacrificalis perfectio est Sacrificii; perfectius certè est id, quod non tantùm redimit & expiat solvendo lytrum, sed & applicat. Eáque applicatio non est incompatibilis cum Sacrificio cruento: Hujus enim generis erant Aharonidarum præcipua, quæ tamen juxta redemptionis pretium pro suo modulo simul vi applicandi gaudebant *Lemm.* II. Ut igitur Sacrificium crucis, tanquam solidum corpus, omnem in se contineat perfectionem umbræ, idque perfectissimo modo, necesse est, polleat omni vi, quæ ab ullo Sacrificio cruento potest proficisci, & per consequens ipsa applicatione sacrificali: Potissimum, quùm ab eo, quod perfectissimum est, nihil sit substrahendum, nisi id, quod manifestò imperfectionem in-

involvit *per Axiom.* 5; quæ nulla in applicatione tali comparet.

Diſtinctio igitur allata, quùm chymerica ſit & everſiva illius relationis, quæ typo intercedit cum antitypo, manet demonſtrationi allatæ ſua vis; & propterea Sacrificium Crucis, tàm ratione applicationis, quàm redemptionis, & perfectiſſimum eſt & unicum, præter quod nullum omninò aliud eſſe poteſt. Hujus igitur, quem Romanæ Eccleſiæ Doctores committunt, erroris remedium eſt, ea conjungere in antitypo, quæ in Sacrificiis typicis, etiam cruentis, erant conjuncta *Lemm.* 11. *&* 12. Egregiè Chryſoſtomus *ad Hebr.* 7. *Homil.* 13. *Hoc*, nimirum, quod Chriſtus ſedeat, *oſtendit magnitudinem Sacrificii; oſtendens, quòd ſufficiat, quamvis unum eſſet & ſemel eſſet oblatum; & tantùm prævaluit, quantum cætera omnia non valebant.*

aliaque gratiæ media, quibus beneficia Christi applicamus, hoc ipso me rejicere causetur. Alia est ratio applicationis, quæ citra novam Sacrificii oblationem, & alia, quæ Sacrificio peragitur. Quo observato sic porrò argumentor.

Applicatio sacrificalis perfectio est Sacrificii; perfectius certè est id, quod non tantùm redimit & expiat solvendo lytrum, sed & applicat. Eáque applicatio non est incompatibilis cum Sacrificio cruento: Hujus enim generis erant Aharonidarum præcipua, quæ tamen juxta redemptionis pretium pro suo modulo simul vi applicandi gaudebant *Lemm.* 11. Ut igitur Sacrificium crucis, tanquam solidum corpus, omnem in se contineat perfectionem umbræ, idque perfectissimo modo, necesse est, polleat omni vi, quæ ab ullo Sacrificio cruento potest proficisci, & per consequens ipsa applicatione sacrificali: Potissimum, quùm ab eo, quod perfectissimum est, nihil sit substrahendum, nisi id, quod manifestò imperfectionem in-

involvit *per Axiom.* 5; quæ nulla in applicatione tali comparet.

Diſtinctio igitur allata, quùm chymerica ſit & everſiva illius relationis, quæ typo intercedit cum antitypo, manet demonſtrationi allatæ ſua vis; & propterea Sacrificium Crucis, tàm ratione applicationis, quàm redemptionis; & perfectiſſimum eſt & unicum, præter quod nullum omninò aliud eſſe poteſt. Hujus igitur, quem Romanæ Eccleſiæ Doctores committunt, erroris remedium eſt, ea conjungere in antitypo, quæ in Sacrificiis typicis, etiam cruentis; erant conjuncta *Lemm.* 11. *&* 12. Egregiè Chryſoſtomus *ad Hebr.* 7. *Homil.* 13. *Hoc*, nimirum, quod Chriſtus ſedeat, *oſtendit magnitudinem Sacrificii; oſtendens, quòd ſufficiat, quamvis unum eſſet & ſemel eſſet oblatum; & tantùm prævaluit, quantum cætera omnia non valebant.*

G COROL-

COROLLARIUM.

Chriſtus igitur, peracto ſemel Crucis Sacrificio, nec pati ampliùs poteſt, nec denuò peccatis onerari. *Hebr.* 9: 25—28.

PROPOSITIO XVIII.

Per Sacrificium Chriſti evaneſcit Aharonicus Ordo.

Demonſtratio.

Aharonidæ cum Sacrificiis ſuis typi erant præfigurantes Chriſtum cum Sacrificio ipſius. *Lemm.* 2. Præſente autem Chriſto & conſummato Sacrificio ſuo, nil reſtat præfigurandum; ideòque ceſſat uſus omnium typorum & per conſequens Aharonidarum unà cum Ordine & Sacrificiis ipſorum.

SCHO-

SCHOLIUM.

Aharonici cultus ἀφανισμὸν fusè demonſtrat Apoſtolus in tota Epiſtola ad Hebræos; quod utinam ad animum tandem revocaret pertinax Judæorum natio & ad meliora aſpiraret bona, quibus Deus nobis benedixit in Chriſto: Quùm ipſi contrà omnibus votis atq; ſtudiis quotidiè aſcendant montem Templi, beſtias ibidem jugulaturi, ac ſi is verus & ſolidus eſſet cultus, quo Deus delectatur, qui tamen Spiritus eſt, ideóque in Spiritu & veritate vult coli ac adorari.

Indicat hoc Propheta his verbis: הנה עפלה לא ישרה נפשו בו: *Ecce clivatur* (ſubintellige illius anima) *cujus anima non eſt recta in ipſo, Habac.* 2: 4, hoc eſt: Illi Judæorum, qui non recto & integro in Chriſtum ſunt corde, fide deſtituti, confugiunt ad clivum ſeu montem Templi, mordicùs adhærentes cul-

tui illius, & in eo ſalutem ſperantes.

Propiùs à Regno Cœlorum abfuit Maimonides; utpote qui Sacrificiorum universi Cultus Levitici ἀσθένειαν καὶ ἀνωφελείαν abunde agnovit, & hinc inde inculcat in libro *Moreh*; unde illustria quædam loca, ut, quouſque profecerit hâc in parte, appareat, huc placet referre. Ità ipſe *Part. 3. Cap. 29.* אלוה האמתי לא יצטרך בקרוב אליו ולהגיע אל רצונו לדבר שיש בו טורח כלל רק אהבתו ויראתו לא דבר אחר והם התכלית בעבודה: *Verus Deus, dum accedimus ad ipſum, & ut conſequamur benevolentiam illius, non indiget re aliqua, in qua ſit moleſtiæ quicquam,* puta corporeæ, qualis in offerendis Sacrificiis, de quibus ipſi eſt ſermo, reperitur. *Tantum vult amorem & timorem ipſius, nihil prætereà. Et hæc finis ſunt, quem intendimus in cultu;* quod coincidit cum illo Pauli: *Finis præcepti eſt amor ex corde puro.* 1. Tim. 1: 5.

Porrò Sacrificiorum cultum cum precibus

cibus confert, & inter ea ponit הפרש גדול *discrimen ingens. Ibid. part. 3. c. 32.* Rationem reddit hanc, quod preces sint יותר קרובות אל הכונה הראשונה והכרחיות בהגיע אליו : *propiores fini primario & necessariæ ad comparandam communionem cum Deo.* Sacrificiorum verò cultum minùs facit necessarium, de quo ait: לא חויב עלינו כמו שהיה בתחלה ר״ל שנקריב בכל מקום ובכל זמן : *Non incumbit nobis, ut fuit in principio*; h. e. *ut offeramus omni loco & tempore.*

Observat insuper, cultum qui victimis peragebatur, uni fuisse domui, nimirum Templo Hierosolymitano, uni item genti, nempe Israëliticæ adstrictam. Sed quorsum hæc affert? An ad extollendum illum cultum, ut moderni faciunt Judæi? Minimè sed potiùs ad eum deprimendum, ut mox subjicit: כל זה הענין למעט זה המין מן העבודות שלא יהיה ממנו אלא מה שלא גזרה חכמתו להניחו לגמרי אבל התפלה והתחנה היא מותרת בבכל מקום ובכל מי שיזדמן : Facit *omne hoc ad deprimendam hanc cul-*

tus speciem, ut ex eo nihil sit quicquam, nisi quod sapientia Dei non omnino abdicare decrevit; ex Gentilium puta religione, cui Sacrificia originem suam debere arbitratur. *Sed preces & supplicatio licitæ sunt quovis loco, & cuilibet quacunque occasione.*

Quo fine allegat Oracula Prophetarum, qui Judæos reprehendebant על רוב השתדלותם והתחזקם להביא הקרבנות: *ob nimium studium & sedulitatem Sacrificia offerendi*, ut Samuelis illud: *An beneplacitum est Jehovæ in holocaustis & victimis, ac in obedientia vocis Jehovæ?* Item illud Jesaiæ: *Quorsum mihi multitudo Sacrificiorum vestrorum, ait Jehovah.* Et Jeremiæ: *Non locutus sum cum Patribus vestris, nec præcepi ipsis in die, quo eduxi eos ex Ægypto, de holocausto & Sacrificio. Sed hoc est, quod præcepi illis, dicendo: Obedite voci meæ, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum.* Denique hoc Psaltis: *Audi popule mi, & eloquar; Israël, & contestabor*

ſtabor te; Deus Deus tuus ſum. Non propter Sacrificia tua arguam te, quùm holocauſta tua ſint coram me jugiter. Non accipiam è domo tua juvencos, è caulis tuis hircos.

Et hanc Judaicæ gentis reprehenſionem factam eſſe ait à Prophetis propterea, quòd iſta eum, qui victimis peragitur, cultum autumaret eſſe הכונה הראשונה *primarium ſcopum* ולא היתה מבדלת בינה ובין הכונה השנית *& non diſtingueret inter eum & finem ſecundarium*; ad quem poſtremum, ipſe victimas, tanquam cultum minoris momenti, qui non omnium ſit temporum, locorum atque populorum, nec ad conciliandam cum Deo communionem neceſſarius, referendum eſſe pertendit. Et hanc, veluti maximi ponderis doctrinam, genti ſuæ præcipuè commendandam eſſe duxit, cùm alibi, tùm maximè in fine capitis allegati, quod his verbis concludit הבינהו מאד והסתכל בו

 Ad-

Adverte animum valdè & attende ad hoc. Faxit Deus, ut Judæi noſtri huic monito obſequantur, relictisque evanidis umbris ſolidum in Chriſto corpus amplectantur!

Hoc unum eſt, quod meritò deſideres in hac Sacrificiorum theoria, quod illa inibi cum reliquo Sanctuarii cultu non conſiderentur, ut ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς *Hebr.* 9:23. & umbræ, impletionem in Meſſia habituræ. Meliùs certè Judæi Kabbaliſtæ, qui Veteri cultui, præcipuè Sacrificiis ענין פנימי וסוד נעלם *ſignificatum interiorem atque abſconditum ineſſe myſterium* docent, ut ex loco mox allegando audiemus. Neque enim ſatisfacit, neque omni ex parte verum eſt, quod Maimonides nobis affert; nimirum cultus hujus rationem eſſe extirpationem idololatriæ, ut propterea decretum fuerit Deo Sacrificia, quæ Dæmonibus immolabantur, ſibi ſoli vindicare, ut hac via Iſraëlem, tanquam circuitu, ab idolorum cultu revocaret. Verùm altior nobis allegatur victimarum Origo, quùm Hebel iis jam lita-

litaverit Deo, ubi Idololatria nondum Orbem fœdarat. Qua in parte ne quidem ipsi assurgunt Hebræorum Magistri. Audiamus vel unicum R. Bechai in Legem fol. 123. כמה היה טעם נכון ומספיק לולי שמצינו צדיקים וגדולים שהקריבו קרבנות בזמן שלא היתה ע״ז בעולם כי אדם הראשון הביא קרבן והבל הביא גם הוא גם נח ובניו בצאתם מן התיבה הקריבו קרבנות ונתקבלו קרבנם והזכיר בו הכתוב רח ניחוח שנ׳ וירח ה׳ את רח הניחוח ואין בכל העולם מצרי או כשדי אבל ענין הקרבנות אשר הם מימות עולם הוא ענין פנימי וסוד נעלם : *Quàm idonea esset ratio* Sacrificiorum, quam affert Bar Maimon, *& sufficiens, nisi Justos inveniremus eosque Magnos, qui victimas immolarunt eo tempore, quo nulla Idololatria fuit in Mundo. Adam enim primus* (quod probabile est ex כתנות עור *tunicis pelliceis*, quibus Deus vestivit primos parentes *Gen.* 3:21. pellis enim Sacerdoti cedebat *Lev.* 7:8.) *obtulit Sacrificium; & ipse etiam Habel; Item Noach & filii ipsius, quùm arca egrederentur, victimas*

obtulerunt, quæ etiam acceptæ fuerunt: Meminit enim Scriptura odoris acquiescentiæ, sicut dicitur : Et odoratus est Jehovah odorem acquiescentiæ. *Nec tamen in Orbe erat Ægyptius aut Chaldæus. Ast Sacrificiorum argumentum interius est & mysterium occultum.* Similia contra Maimonidem disputat R. Isaac Karo ad Lev. 1. fol. 68: quæ, ne longius digrediar, omittam.

COROLLARIUM.

Quodcunque aliud Sacerdotium, sive certi Ordinis, sive non, abolitum est Sacrificio Christi.

SCHOLIUM.

Fluit hoc Corollarium ex Propositione præcedente & demonstratione illius, ut aliâ minimè sit opus. Sic Sacerdotium Habelis, Noachi, Abrahami & aliorum, quia eandem cum Sacerdotio Aharonico habet rationem; h.e. typicum fuit & figurativum Sacerdotii Christi; Ideò illud, præsente corpore, non secus ac Aharonicum, oportuit evanuisse, ut umbram.

Un-

Unde manifestum est, triumphum ante victoriam cecinisse Moguntinum, dum in examine *Prop.* 1. post ostensum, ut falso autumat, tertium Sacerdotum Ordinem ab Aharonico ac Melchisedeciano distinctum, nimirùm Abelis, Noachi &c. gloriatur de subruto omnium demonstrationum mearum fundamento: Etenim falli ipsum sententia sua, Consectarium hoc ad oculum evincit. Nam si vel maximè evinceretur tertius Ordo *contra Prop.* 1. is, non aliter ac Aharonicus, evanuisset Sacrificio Christi, *juxta hoc Coroll.* Hoc igitur causam Adversarii ne hilum quidem juvat; manet enim demonstratio ex omni parte illæsa hoc modo: Sacerdotes Romani neque sunt Ordinis Aharonici, neque Melchisedeciani, neque tertii cujusdam, sive Ordinis sive ritus, sive, quocunque nomine veniat, Honoris Sacerdotalis. Is enim, si fuit, cum ipso Aharonico jamjam evanuit. Ergo illi sunt ψευδώνυμοι Sacerdotes, & Missa est falsi nominis Sacrificium.

PRO-

PROPOSITIO XIX.

Christus in Novo Testamento solus omnino & unicus est Sacerdos.

Demonstratio.

Quùm enim ipse sit Sacerdos Melchisedeciani Ordinis, *per Prop.* 16. Ergo unicus est istius Ordinis, *per Prop.* 11. Et ità unicus, ut plures dari æquè repugnet, ac plures dari Deos *Coroll. Prop.* 12. Præterea quoniam Aharonicus Ordo evanescit in Novo Testamento *Prop.* 18, imò Sacerdotium aliud quodcunque, *per Coroll. præc.* clarum est, illum solum in Novo Testamento esse Sacerdotem.

PROPOSITIO XX.

Christus, ex quo consedit ad dextram Dei, peracto Crucis Sacrificio, ad Sacerdotii sui perpetuitatem

non

non indiget Sacerdotibus in terra.

Demonstratio.

Melchiſedek, ex quo deſiit eſſe in terris, neque obtulit ampliùs per ſe, neque per Miniſtros, *per Lemm.* 13. hoc tamen non obſtante manet Sacerdos in perpetuum. *Prop.* 10. *&* *Coroll. ejus.* Porrò Melchiſedek ſpecialiſſima ratione eſt typus & norma Chriſti *per Schol. Coroll.* 1. *Prop.* 12. Imò quoad hanc ipſam Sacerdotii perpetuitatem aſſimilatus eſt Filio Dei, *per Prop.* 10. *&* *Vindicias Prop.* 15. Ergo, quùm de ſimilibus idem ſit judicium, ad perennitatem Sacerdotii Chriſti non requiruntur Sacerdotes in terra.

Secundò; Chriſtus, non intrat in Sanctuarium terrenum, Sacerdotio ibidem functurus, ſive per ſe, ſive per ſuffraganeos miniſtros *Lemm.* 3, & nihilominùs tamen eſt Sacerdos in æternum, *per Prop.* 16. Ergo Sacerdotium ipſius eſt perpetuum citra opem Sacerdotum in terra.

Vin-

Vindiciæ,

In quibus detegitur tertius error.

Hac ultima Demonſtratione eò magis conſtricti tenentur Adverſarii, quòd ipſi aſſerant, Chriſtum non per miniſtros tantùm intereſſe Miſſæ, (quæ omnino in domo agitur χειροποιήτῳ) verùm etiam ipſummet, quoad utramque naturam, ut in victimam ſe offerat, perſonaliter eſſe præſentem, contra *Lemm.* 3. & Apoſtolum ad Hebræos 8: 4, 9:24, unde illud eſt depromptum.

Hinc ſimul perſpicuum eſt, quàm vanus ſit Adverſariorum metus, dum verentur *extingui Sacerdotium Chriſti, niſi habeat vicarios in terra*; qui tertius eorum eſt error. *Conc. Trid. Seſſ.* 22: *Cap.*1. Moguntinus *Ver. Miſſ. Genio pag.* 45, 46. Quaſi verò interceſſio Chriſti non ſit actus Sacerdotalis, *juxta Defin.* 9. fatente Adverſario *ibid. pag.* 7. *num.* 5. Aut quaſi ea ex ſolo Crucis Sacrificio non ſit legitima & efficax apud Patrem, ut is

lar-

largiatur Spiritum ſuum, imò Chriſto eum donandi poteſtatem concedat *Johann.* 15: 26, quò ità εἰς τὸ παντελὲς ſalvare poſſit eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, *Hebr.* 7: 25. Aut denique quaſi interceſſio Chriſti ità pendeat à Sacrificulis Romanis, ut citra eorum opem in terris Chriſtus ea nequeat defungi in cœlis. Cujus erroris remedium eſt, animadvertere, perpetuum induci Sacerdotium Melchiſedeci, etiamſi is ab exceſſu ejus neque obtulerit per ſe, neque per miniſtros, ut oſtendimus *Lemm.* 13. *& Coroll. Prop.* 10.

Conſiderabimus hæc propiùs ex ipſa Scriptura: Ea, quotieſcunque de Sacerdotio Chriſti & beneficiis inde ad nos redundantibus agit, inter Sacrificium Crucis, interceſſionem & dationem Spiritus Sancti, quæ *juxta Defin.* 10. ſacerdotalis ejus benedictio eſt, nullum unquam aliud, ſive Sacerdotium ſive Sacrificiũ interponit. Et ubinam inter hæc tria locum dabunt ſuo Miſſæ Sacrificio Romani? An collocabũt eam ante crucis Sacrificium? An verò inter hoc & interceſſio-

cessionem? an denique mediam facient inter intercessionem & benedictionem? Ast nulla id ratione concordat cum Scriptura.

Quantùm ad primum & secundum, unicum tantùm ex Veteri Instrumento Oraculum proponam & quidem ex Jesaia, qui illustre illud fœdus, quod Pater cum Filio pepigit, distinctè nobis exponit *Cap.* 53:10. Ità verò loquitur de Filio: אם תשים אשם נפשו *si ipsemet posuerit Sacrificium reatus animam suam.* Observa, vocem נפשו, quæ partem prædicati facit, subintelligendam simul esse loco subjecti; (quod requirit verbum fœmininum תשים;) & commodissimè hîc exprimi per pronomen *Ipsemet:* נפש enim cum affixis hoc sensu frequentissimi est usus apud Hebræos pariter ac Chaldæos, ut אנא נפשי *Ego ipsemet.* נפשך *Tumet ipse.* נפשו *Ille ipse.*

Flagitat hanc expositionem actionis reciprocæ (qualis est oblatio Christi, ὃς παρέδωκεν ἑαυτὸν προσφορὰν ϗ θυσίαν τῷ θεῷ *Eph.* 5:1.) indoles, utpote in qua, qui agens est, simul est patiens; & in effato, quod

quod de eo enunciatur, & subjecti occupat locum & prædicati. Prius de collocanda subjecti loco voce נפשו jamdudum observavit Celeberrimus nostri Seculi Interpres, sed is eandem movit, quem tamen ipse Propheta ei fecit, loco prædicati; & sic non tantùm sustulit actionem reciprocam, cùm Christus Sacerdos simul sit & victima, verùm etiam phrasin, *ponere animam*, discerpsit, quæ tamen huic Sacrificio est essentialis.

Lubet cum expositione nostra conferre verba Christi. *Joh.* 10: 17, 18. quæ rem penitiùs intuenti oraculo nostro ex omni parte videbuntur parallela. *Ego*, inquit, *pono animam meam.*

Nota hìc *primò* subjectum Propositionis in utroque loco: Emphasis, quam observo in voce נפשו subintellecta loco subjecti, exprimitur notanter *vers.* 5. *Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam* ἀπ' ἐμαυτοῦ *à me ipso.*

Secundò phrasin *ponere animam*, quæ facit partem prædicati, ter adhibitam à Christo: Ubi Syrus non phrases tan-

tùm, ſed eaſdem cū Jeſaia voces uſurpat, אנא כאם אנא נפשי: Quod divellendam haud eſſe hanc phraſin arguit, ut faciunt illi, qui נפשי tantùm collocant loco ſubjecti.

Tertiò, παραλληλίαν in re ipſa, quoad reſurrectionem ex mortuis. Ubi Chriſtus de anima ſua ait; *Iterum aſſumam eam*, ibi Jeſaias: *Prolongabit dies*, non obſtante, quod animam ſit poſiturus; Non igitur manebit in morte, ſed animam reaſſumet, in perpetuum victurus.

Quartò ἐξουσίαν *animam ponendi eamque reaſſumendi*, quæ ſimul latet in voce נפשו ſubaudita loco ſubjecti. Nemo hominum aliâs eſt vitæ ac necis ſuæ arbiter, ſed ſolus ille, qui ut omnium rerum, ſic & vitæ eſt Dominus: Qui etiam præcepto *Non occides* omnem αὐτοχειρίαν prohibuit, non eam tantùm, qua quis ſibi ipſi violentas manus infert, verum etiam hanc, qua quis ſe periculo exponit incidendi in carnificum manus. Qua propterea auctoritate Chriſtum peculiari mandato oportuit à

Pa-

Patre muniri, ipſomet ajente. *Hoc præceptum accepi à Patre meo.* Et hoc verbis Jeſaiæ manifeſtiſſimè eſt deſcriptum, & quidem, ut Conditio pacti, quam Pater explicatis verbis Filio injunxit: *Si ipſemet poſuerit animam ſuam* &c. Chriſtus igitur, quùm in loco Johannis nihil omninò dicat extra locum Jeſaiæ, imò rem ipſam exprimat iiſdem cum ipſo phraſibus, cenſendus eſt eum locum exerto veluti digito monſtraſſe: Quod allatam expoſitionem noſtram mirum quantum! confirmat, quæ, quia maximopere ad ſcopum facit, fuſiùs fuit deducta.

En tibi igitur ſtipulationem Patris, exigentis à Filio certam conditionem: Sed quam? An, ut innumeros habeat miniſtros, tanquam organa, quorum manibus ipſemet offeratur? Nequaquam. נפשו תשים *Ille ipſemet ponet*, non alius; ipſe unus & ſolus, non plures. An, ut ſæpiùs ſe offerat uſque ad ſeculi conſummationem? Non certè, ſed ut ponat *Sacrificium*, non *Sacrificia*, unicum, non plura. Aſt, cujuſmodi id

H 2 eſſe

esse oportet? An ejusmodi, quod propitiatorium esse censendum sit, nullo peccati reatu in victimam conjecto? Absit: Ponet אשם *Sacrificium reatus.* Verùm, an, quod dicitur, reatus Sacrificium forsitan est tam mysteriosum, ut Filius Dei, qui id offert, conservetur vivus ac gloriosus, exutis tantùm, quas ad tempus assumpserat, speciebus alienis? Minimè verò; Conditio enim Patris est: תשים נפשו *deponet animam suam.*

Sed quid est, quod Pater Filio sub hac conditione promittit? De eo Propheta: *Videbit semen*, h. e. multitudinem filiorum ex Deo prognatorum *Joh* 1: 12, 13. *Prolongabit dies*: Spectat hoc (1.) ad Christum, cui promittitur exitus ex morte, & vita in gloria nunquam finienda. (2.) Semen, ad quod subintellecto pronomine אשר cum LXX, qui σπέρμα μακρόβιον vertunt, & Vulgato, qui *semen longævum*, commodissimè potest, imò propter seminis cum Christo communionem, debet referri, *Joh.* 14:3. Notat autem Ecclesiæ perennitatem in mundo, ut portæ inferorum non

non prævaleat ipsi *Matth.*16: 18. *Jes.*59: 21. & vitam aliquando beatam sine fine transigendam in cœlis. Denique, ne quid desit promissioni divinæ, mittit omnia in compendium, & cumulo pollicetur: *Consilium Jehovæ*, nimirum salvandi peccatorem, omniáque ad gloriam, maximè gratiæ suæ ostendendam dirigendi, *per illum succedet.*

Quid igitur? an requiritur in hoc pacto, ut Christus Sacrificio crucis præmittat aliud vel postponat, tanquam necessarium ad id, ut ipse postulet à Patre semen? Hæc postulatio enim ipsius intercessio est *juxta Defin.* 9. Aut igitur nulla Sacerdotii atque Sacrificii vestri Missatici (hujus Patronos hîc volo) mentio in conditione hujus pacti, aut Filius in eodem Missæ Sacrificio animam suam ponit Sacrificium reatus? Posterius credo affirmare non sustinebitis, cùm Christus nec animam deponere ampliùs, nec reatu denuò onerari possit, *Coroll. Prop.* 17. Restat prius, quod eligatis. Ast id causam vestram omninò jugulat; Si enim Pater in hoc fœdere

 Filio

Filio promisit semen, & in universum successum consilii sui per manum ipsius sub sola conditione mortis, tanquam Sacrificii reatus, quid obstat, quò minus Filius semen illud promissum vi præstitæ unius & solius istius conditionis jure postulet à Patre? Unde & Apostolus αἵματι ῥαντισμοῦ h. e. morti Christi immediatè attribuit τὸ λαλεῖν & quidem κρείττονα παρὰ τὸν Ἄβελ, seu intercessionem gratiosam apud Patrem *Hebr.* 12: 24.

Ut hoc, quantum fieri potest, clarè ac distinctè cognoscatur, supponamus, si placet, Filium intercedere apud Patrem hoc modo: *Pater Domine Cæli ac Terræ, memor, quæso, sis fœderis tui, quod mecum pepigisti. Pollicitus mihi es semen, quod mecum in gloria prolonget dies; & ut consilium tuum per manus meas prosperetur, modò ponerem animam meam in Sacrificium reatus. En igitur me, qui delectatus sum facere voluntatem tuam; Lex hæc tua fuit in medio viscerum meorum, qui obediens factus sum usque ad mortem, mortem autem crucis. Agedum ergo, mi Pater, qui nescis sive mutari sive mentiri, da*

pro-

promissum mihi semen, pro quo animam profudi, ut delicier in eo. Fac, quæso, videam multitudinem fratrum, ut sim primogenitus in ipsis, ut Spiritu meo, tanquam peculium meum possideam illos. Propter veritatem tuam, Domine, custodi eos, ut semen sint longævum ac perenne in mundo; Protege illos, ne malignus eos tangat, & ne portæ inferorum prævaleant ipsis. Denique, quod cumulatim promisisti, mi Deus atque Pater, fac, succedat consilium tuum; Prospera id per manum meam eousque, ut, qui de semine meo sunt, videant olim gloriam meam, quam dedisti mihi, ad laudem gratiæ tuæ in æternùm manifestandam. En intercessio Christi, qua solo Crucis Sacrificio nixus postulat à Patre semen perenne & successum Consilii Divini per manum illius. Pronunciate sententiam Missatores, juréne facta est hæc intercessio an injuriâ? si injuria: Ergo vitium est Patris, quòd ipsi promiserit id semen sub sola mortis conditione. Si autem sub hac sola legitimè promisit, Filius ex impleta ea sola legitimè postulavit. Ratum enim

eſt; ſub qua conditione præſtanda quid legitimè promittitur, ex eadem præſtita id legitimè poſtulatur, *juxta Axiom.* 11. Si verò jure eſt facta, Sacerdotio veſtro ſive ante ſive poſt Crucis Sacrificium, ad id ut interceſſio Chriſti ſit legitima, minimè eſt opus.

Dices, neque exigi in hoc fœdere fidem, quæ tamen, ut conditio neceſſaria exigitur conſequendæ ſalutis. Prout igitur ex eo, quod in conditione hujus pacti nulla fidei ſit mentio, non ſequitur fidem excludi, ſic quoque ſimiliter de Sacerdotio ac Sacrificio Miſſæ judicandum.

Reſp. Exhiberi hîc fœdus, non cum peccatore, cujus conditio omninò eſt fides, ſed cum Filio contractum, in quo conditionis loco exigitur non fides, ſed obedientia uſque ad mortem. Ad quam conditionem ſi ullo modo pertineret Sacerdotium Miſſale, hoc loco neceſſario memorari debuiſſet. Conditio enim, ubi fœdus contrahitur, omiſſa, hoc ipſo nulla eſſe declaratur, cum

cum nulla obliget, nisi ea, quæ partibus contrahentibus, stipulante una & adstipulante altera, innotescit *juxta Ax.* 12.

Vidimus Sacerdotium Missaticum neque ante neque post Sacrificium Crucis requiri tanquam necessarium ad id, ut Christus legitimè intercedat in cœlis, quod primum & secundum erat, quod in disquisitionem veniebat. Restat jam, ut examinemus, quod tertio loco quærebatur, nimirùm an idem Sacerdotium inter Christi intercessionem & dationem Spiritus Sancti, quam benedictionem appellamus, necessariò ut intermedium requiratur. Quo labore facilè defungemur, modò attendamus ad ea, quæ de intercessione Christi mox fusiùs sunt disputata. Si ea enim, solo licet Crucis Sacrificio nixa, legitima est, & consona pacto, quod Pater cum Filio percussit, necesse omninò est, illam apud Patrem esse validam atque efficacem. Quid enim? An Pater, abnegata veritate, resiliret à pacto? Cur Filio legitimè postulanti denegaret semen, quod ipsemet illi pro-

misit sub præstanda mortis conditione, vi cujus præstitæ Filius id ipsum restipulatur à Patre? Contrà est, quòd Filio non tantùm addicat jus postulandi, sed etiam pronum ostendat animum largiendi petitum, dicendo: *Postula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ps.* 2: 8.

Jam verò, si intercessionem Christi citra omnem Sacerdotii Missatici opem credimus esse & legitimam & efficacem, ut Pater ipsi det semen promissum, consequens est, eam sine eodem Sacerdotio eò usque esse efficacem, ut & benedictionem exercere possit, Spiritum suum largiendo; Nullo enim alio Auctore homines naturà pravi fiunt semen h. e. Filii Dei atque Christi *Johann.* 3: 5.

Ex quibus omnibus manifestum est, Christum, ut perpetuus sit Sacerdos, nullo modo egere Sacerdotio, quod geratur in terris; quùm ex sola, quam in cruce obtulit, victima, juxta pactum quod ipsi cum Patre intercedit, jus ipsi

na-

natum sit plenum atque perfectum postulandi à Patre semen, adeò, ut citra ullum aliud sive Sacerdotium sive Sacrificium, præter id quod crucis est, legitimè & efficaciter intercedat, ut Sacerdos, suisq; re ipsa benedicat, ut Sacerdos. Actum igitur utrumque Sacerdotalem & intercessionis & benedictionis quùm exerceat Christus in Cœlis citra ullum Sacerdotium, quod geratur in terris, figmentum omnino esse comperitur, quod Missæ assertores obtendunt, nimirum, citra Sacerdotium Missaticum extingui Sacerdotium Christi.

Antequam discedam ab hoc argumento, lubet quærere à Missæ Patronis, an die Parasceves, quo non celebrant Missam, & tempore Anti-Christi, quo per annos tres cum dimidio ajunt abolitum iri Missæ Sacrificium, (imò, quod magis est, per mille annos, quos fingit Moguntiensis Ubel ärger pag. 31.) adhuc vigeat Sacerdotium Christi? Si non, per quem, quæso, fideles per id tempus venient ad Patrem, cùm Christus sit unicus Mediator 1. *Tim*, 2: 5. & sine eo nemo ve-

veniat ad Patrem *Joh.* 14:6. Si verò tunc adhuc viget per tot annos ſine Miſſa, cur non annos bis mille, ter mille &c. & porrò in perpetuum?

COROLLARIUM I.

Hinc ſequitur Sacerdotium Miſſaticum eſſe ſuperadditionem ad fœdus divinum.

COROLLARIUM II.

Similiter, Miſſam neque neceſſariam neque omninò proficuam eſſe ad ullius boni ſalutaris conſecutionem.

Demonſtratio.

Neceſſaria non eſt (1.) Quia interceſſio Chriſti ſine ea eſt & legitima & efficax ad benedictionem & largitionem Spiritus, qui fidei, bonorum operum, perſeverantiæ & conſequenter ipſius ſalutis

lutis est auctor. (2.) Promissio, quæ Filio est facta sub sola conditione mortis, includit successum Consilii divini per manum illius. Ergo etiam introductionem fidelium in gloriam cœlestem.

Utilis non est, quippe additio ad fœdus, *Coroll.præc.* Missantibus igitur dictum est. *Quis poscit hoc è manibus vestris? ait Jehovah, Jes.* 1: 12.

COROLLARIUM III.

Denique, Christum non obtulisse se in Cœna sub specie panis & vini.

Vindiciæ.

Ast hæc omnia non obsunt, quò minùs Adversarii ipsum adeò Servatorem atque Summum Pontificem allegent, ut Sacerdotii sui auctorem, & quidem ipsis Sacræ Cœnæ verbis: *Facite hoc ad mei recordationem.* Sic Conc. Trid. *Sess.* 22:

Can.

Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique non offerrent corpus & sanguinem suum, Anathema sit.

Sed supponitur hîc gratis (1.) Christum se obtulisse in Cœna sub specie panis & vini, quod πρῶτον ψεῦδος est, nunquam ab ipsis probandum; imò quod modò ex ipsa indole Fœderis Divini falsitatis convictum. (2.) Verba Cœnæ, *Hoc est corpus meum* esse operatoria & conversiva panis & vini in corpus & sanguinem Christi, cùm illa potius, si vel ipsam literam spectes, ut Pontificii volunt, imò Grammaticæ leges, indicativa sint, non imperativa. Non enim dicit Servator, Hoc esto, sit, vel fiat corpus meum, sed Hoc est corpus meum. Itaque non quid fieri debeat ex pane & vino imperant, sed tantùm quid jam actu ac re ipsa sit, monstrant.

Lemm. 22. Quapropter cùm Christus ipse per hæc verba non confecerit corpus ac sanguinem suum ex pane & vino, ideo-

ideoque id non obtulerit ſub eorundem ſpeciebus, dum Apoſtolos & ſuccedaneos ipſis Sacrorum Miniſtros idem, quod ipſemet fecit, ſimiliter facere juſſit, nulla ratione cenſeri poteſt illos conſtituiſſe Sacerdotes corpori ſuo & conficiendo & offerendo deſtinatos.

PROPOSITIO XXI.

Locus Jeſ. 66: 21. & ſimiles de Sacerdotibus Symbolicè ità dictis, ut commodè intelligi poſſunt ex uſu Scripturæ, ità & neceſſariò debent.

Demonſtratio.

In Novo Teſtamento nullus obtinet Sacerdotum Ordo, quàm Melchiſedecianus *per Prop.* 18. 19. Et nemo illius Ordinis fit conſors, niſi qui ipſemet illius Ordi-

Ordinis Characterismis est insignis, *per Defin.* 6. v. gr. æternitate, non fine tantum sed & initio carente *per Propos.* 10. item ἀναμαρτησία *per Prop.* 11. Quibus, cùm nemo horum sit instructus, manifestum est, illos Ordinis Melchisedeciani non esse consortes, sed tantùm παρωδικῶς appellari Sacerdotes.

Vindiciæ.

Provocat ad locum in hac Propositione allegatum Moguntinus, eúmque demonstrationibus meis debellandis opponit. Ast, prout frequentissimum est Prophetis cultum Novi Testamenti involvere ritibus antiqui suo tempore adhuc vigentis, ità Symbolicam potiùs hujus loci interpretationem adoptare Adversarius debuisset, quàm Ordinem Sacerdotalem, Characteribus suis clarè & sine ænigmate in Scriptura descriptum, violare, ac, admissis qui Characteribus his carent Sacerdotibus, sacros illius perrumpere cancellos.

Interim

Interim ipſum Prophetam audiamus, ita vaticinantem de ultimis Novi Teſtamenti diebus. *Etiam ex ipſis capiam in Sacerdotes ac Levitas.* Quinam hi in Novo Teſtamento Levitæ? An qui egreſſi lumbis Levi, Sacerdotum erant adminiſtri ac vigiles in templo? An reædificato Sanctuario reviviſcet priſtinus Ordo? Nihil horum prorſus: Symbolico igitur loquendi modo, facta ad Miniſtros Veteris Teſtamenti alluſione, hîc innui judicandi ſunt inferiores Eccleſiæ Chriſtianæ Miniſtri, quales ſub Sacerdotibus in ſuo Sanctuario erant Levitæ, quibus Diaconi paralleli eſſe videntur, *Actor.* 6: 1. *ſeq.* Unde quid de Sacerdotibus judicandum facilè patet. Quales enim Levitæ, tales etiam , qui hîc ut σύζυγοι γνήσιοι junguntur, ſunt Sacerdotes, ſuavi nimirum ad veteres ſub Lege Miniſtros παρῳδίᾳ ità appellati.

Quinam verò ſunt, qui hoc titulo ornantur? Non enim intelligendos hîc eſſe fidelium quoſvis, oppoſitio evincit, dum Sacerdotes collocantur ex Adverſo Levitarum. Tales igitur quærendi nobis

bis ſunt Sacerdotes, quorum ad ſuos Levitas, h. e. Diaconos eadem ſit ratio, qualis eorundem ad ſe invicem erat in Templo. Commodiſſimè ergo intelliguntur Eccleſiæ Paſtores, qui eo gradu Diaconis erant ſuperiores (de Ordine loquor, non dominio) quô Sacerdotes Levitis, atq; in Symbolico hoc Sacerdotio eximium præ cœteris tenent gradum, quia, quos ad Deum adducunt, ipſi veluti hoſtia offeruntur: Qua ratione Paulus ſe Sacerdotem eſſe gloriatur: *Gratia Dei*, inquit, *data eſt mihi à Deo, ad hoc, ut ſim miniſter Jeſu Chriſti apud Gentes, operans Evangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata per Spiritum Sanctum. Rom.* 15: 15, 16.

Adfert & alia loca Adverſarius, & quidem Sacerdotio ſuo Patronum quærit Davidem ex *Pſal.* 132: 16. *Sacerdotes ejus* Zionis *amiciam ſalute.* Cum nulla hîc à ſenſu proprio recedendi appareat neceſſitas, intelligo Zionē & Sacerdotes ejus ſecundum literam, nimirum Aharonidas Veteris Teſtamenti, quorum Sacerdotio adhuc vigente Chriſtus erat Zione appa-

ritu-

riturus. Horum vestimenta, licet לכבוד ולתפארת *in gloriam* & decus *Exod.* 28: 2, cum reliquo tamen istius Cultus apparatu erant signa nondum aboliti reatus, quô propterea erant veluti induti, unde & peccata Israëlis ferre dicebantur. *Lev.* 10: 17. Christus ergo, auferendo reatum, eundem simul abstulit à Sacerdotibus, eosque eo veluti exuit; contrà verò induit procurata sanguine suo salute; hinc בגדי ישע ומעיל צדקה *vestes salutis & pallium justitiæ*, quibus fideles à Deo amictos se esse gloriantur *Jes.* 61:10.

Superest locus 1. *Tim.* 4: 14. quem ὁ ἐξ ἐναντίας pro statuminando suo Sacerdotio in fronte collocavit. Verba Apostoli sunt hæc: *Ne negligito donum, quod in te est, quod datum est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Sed quid hîc de Sacerdotio? Nihil certè, quod illud vel sapiat vel redoleat. Ast Presbyterium, inquit Antagonista, est Collegium Sacerdotum, idque probat ex

Glossa quadam Germanica collocata ad marginem Bibliorum, ut ait, Luthericorum, quæ Presbyterium interpretatur **Priester oder Priesterschafft**: Item Versione Reformatorum Latina, Tiguri impressa. Verùm non cogitat, Ecclesiis in usu alicubi esse, Pastores suos, non Missatores, Sacerdotum nomine insignire; non abludente, ut ex Jesaia & Paulo mox vidimus, Scriptura, quæ Pastoribus in Sacerdotio παραδοτικῶς ità dicto primum locum assignat: Imò adstipulante & etymo vocis **Priester** / quam ex Latino Presbyter corruptam esse apparet. Quo & Glossam credibile est respexisse. Nihil ergo hîc pro Sacerdotio propriè dicto Christi vice gerendo in terris.

PROPOSITIO XXII.

Fideles Veteris Testamenti, licet, ut Filii Dei, introducerentur in gloriam post mortem, nihilominus adhuc erant sub reatu.

Demon-

Demonstratio.

Sacrificium Crucis eſt perfectiſſimum, & unicè propitiatorium, *Prop.* 17. Ergo Sacrificia Aharonica non verè expiabant peccata, ſed typicè tantum, & per conſequens fideles adhuc erant ſub reatu.

PROPOSITIO XXIII.

Fideles Novi Teſtamenti non ſunt amplius ſub reatu.

Demonstratio.

Chriſtus eſt perfectiſſimus Sacerdos *Prop.* 12. *Coroll.* 1. *&* *Prop.* 16. & Sacrificio ipſius perfectiſſimè expiavit peccata *Prop.* 17. Ergo nullus eorum in Novo Teſtamento viget reatus.

PROPOSITIO XXIV.

Fideles Novi Testamenti accessum habent ad Deum, fidelibus Veteris Testamenti propiorem.

Demonstratio.

Fideles Veteris præter Christum (qui jam tunc vivebat, ut גואל Redemptor ipsorum *Job* 19: 25. & ut *Angelus faciei* Dei, h.e. qui apparebat coram Patre, ut intercessor pro ipsis, & *in omni angustia ipsorum salvabat eos*, qui *amore & clementia sua ipsemet sibi vindicabat eos, & imponens eos, bajulabat omnibus diebus seculi Jes.* 63: 9.) alios adhuc, eosque meros homines, habebant Sacerdotes, ipsimet vero arcebantur ab Altari *Propos.* 3. *& Schol. ejus.*

In Novo autem Testamento Christus est unicus Sacerdos, abolitis Sacerdotibus aliis quibuscunque *Prop.* 18. Per eum igitur solum accedunt fideles ad Deum, & per consequens accessum ha-

habent ad ipſum fidelibus Veteris Teſtamenti propiorem.

PROPOSITIO XXV.

Iidem conſcientiam habent præ fidelibus ſub Lege pacatiorem.

Demonſtratio.

Patet *Primò* ex Propoſitione præcedente. Nos in Novo Teſtamento propiùs illis accedimus Deo. Ergo hoc ipſo pacatiores ſumus illis, qui longiùs removebantur.

Secundò, illi ſub Veteri Lege adhuc erant in peccatis & ſub reatu, utpote per Chriſtum nondum ablato. Quoniam enim Sacrificia erant umbræ, quæ reatus ablationem Chriſti victima demum procurandam prædicebant, hoc ipſo id nondum factum eſſe monſtrabant. Unde & Iſraëlitæ peccata

ſua, juxta ſolennem eorum confeſſionem atque manuum impoſitionem, in hoſtiam trajiciebant, in ipſorum locum ſubſtitutam. Quæ dum jugulabatur, manifeſto erat indicio, ipſos adhuc eſſe reos mortis & peccata ſua nondum eſſe verè expiata; Quod Paulus *Chirographum peccati* appellat, ſubcontrarium Iſraëlitis *Col.* 2: 14. Quàm inquietam verò hoc reddiderit conſcientiam piorum, facilè eſt cogitatu.

Fidelium verò Novi Teſtamenti longè melior eſt conditio. Quandoquidem enim Chriſtus eſt perfectiſſimus Sacerdos, *Coroll.* 1. *Prop.* 12. *&* *Prop.* 16. & Sacrificium ipſius eſt perfectiſſimum, *per Prop.* 17. hoc ipſo fidelium peccata verè ac perfectè ſunt expiata. Conſcientiam igitur ipſorum, ritè informatam, turbare non poſſunt, tanquam nondum deleta: Quam proinde præ conſcientia fidelium ſub Lege, habent longè tranquilliorem.

PRO-

PROPOSITIO XXVI.

Romæ Sacerdotes, neque Ordinis Aharonici ſunt, neque Melchiſedeciani.

Demonſtratio.

Vidimus ὁμοιότητα, quæ Jeſu Chriſto tanta intercedit cum Melchiſedeco, ut ſponte ſua τάξιν illius occuparit. Proximum jam eſt, ut de innumera Sacrificulorum turba diſpiciamus, quos Roma ἐπιδιαλάσσει, ac præter Chriſtum Sacerdotem diſponit. Geſtiunt hi omnes eſſe veri nominis Sacerdotes, ἀφωρισμένοι εἰς προσφορὰν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἀναίμακτον καὶ ἱλασμὸν τῶν ἁμαρτιῶν τοῦ λαοῦ. Non poſſum, quin addubitans quæram cum Servatore: Τίνι ὁμοιώσω τὴν γενεὰν ταύτην; Citiùs certè veſpertilionem retulerim ad avium muriumve genus, quàm Te, Accuſator, quatenus clues Sacer-

dos, redegerim in Ordinem Aharonis aut Melchiſedeci. Nulla hîc hyperbole, utor, ſed, quod res eſt, dico ex intimis. Veni, ſodes, & ex comparatione, quam mox inſtituam, ipſus id vide.

Ordinis Aharonici te non eſſe ſupervacaneum eſt probare; Hunc enim non ſolùm non affectas, ſed & is Chriſti Sacerdotio jam dudum expiravit *Prop.* 18. nec alios, niſi Aharonis ſobolem, Sacerdotes adſciſcebat *Prop.* 3.

Melchiſedeciani autem Ordinis, cujus te profiteris eſſe Sacerdotem, multò minùs es: Nullo enim iſtius Ordinis Charactere es inſignitus. Dic, agedum, Accuſator, an Rex ſimul es & Sacerdos? Nemini quidem fidelium invideo Regis ἀξίωμα aut Sacerdotii honorem; utroque enim donati ſunt à Chriſto *Apoc.* 5: 10, ut ſint ממלכת כהנים ϗ βασίλειον ἱεράτευμα *Exod.* 19: 6. 1. *Pet.* 2: 5, 9. Pugnant enim contra diabolum & carnem, atque hoſtias

ſtias offerunt ſpirituales ; qui rationalis ipſorum cultus eſt *Rom.* 12: 1. Aſt longè aliud eſt, quod affectant Romani Ordinis Sacrificuli : φερώνυμοι illi amant eſſe Sacerdotes, victimam offerentes, κυρίως talem, quâ verè propitient Numen iratum *Defin.* 1. & 3. Hunc titulum igitur ſibi vendicant ἐξόχως καὶ ὡς διαφορώτερον ὄνομα, communi fidelium Sacerdotio immane quantum ! excellens.

An igitur Rex es, Accuſator, aliter ac fidelium Vulgus ? An juſtitiæ ac pacis Rex es ? idque æquè verè ac propriè ac Sacerdos eſſe prætendis? Fare, quæſo, ut qui dignè ſalutandus ſis, non ignoremus ? Præterea, an unicus es tui Ordinis Sacerdos ? ſi ità, quî igitur Chriſtus, quî alii tecum ſunt Sacerdotes ? ſi non, quomodo Melchiſedeciani Ordinis es, utpote qui unicum tantùm admittit non plures ? *Prop.* 9. Porrò, an in perpetuum es Sacerdos ? an mortalium numero exemptus nunquam decedes tua ſta-

ſtatione? An tibi ergo dictum: *Tu es Sacerdos in æternum juxta Ordinem Melchiſedek?* Ita argumentatur Paulus *Hebr.* 1:5,13.

Denique, ut rem ex ſe apertiſſimam demonſtrandi finem faciam, an hominum peccatorum Catalogo te eximis, puriori præ cœteris luto formatus? Non id audes, Accuſator, & pudor hoc vetat. Nullum igitur Melchiſedeciani Ordinis habes Characterem, ne unicum quidem. Quis igitur es, cùm neque Aharonis neque Melchiſedeci ſis, neque alterius cujuſdam Ordinis aut ritus, utpote qui omnes expirarunt, *Coroll. Prop.* 18. Reliquum eſt, ut peculiarem tibi claſſem aſſignemus, nimirum ἀταξίαν τῆς Ῥώμης.

COROLLARIUM.

Romani igitur Sacerdotes ſunt ψευδώνυμοι Sacerdotes.

Vin-

Vindiciæ

Detegentes quartum errorem.

Videntes Adverſarii, deſtitui Sacrificulos ſuos Characteribus Melchiſedeci, cujus Ordinis tamen ſe profitentur eſſe Sacerdotes, neceſſe habent, qui quartus ipſorum error eſt, *Ordinem laxare, adſcribendo illi Sacerdotes miniſtros, Ordinis iſtius Characteribus carentes*; unde, juxta tres reliquos errores ſuprà recenſitos, multi alii naſcuntur infrà detegendi. Ità & Moguntinus & Anonymus diſtinctionem inculcant inter Sacerdotem Summum & Miniſtros, Summi Sacerdotis nomine Sacerdotio fungentes. Illum, ajunt, Ordinis ſui Characteribus in perſona ſua conſpicuum eſſe oportere; hos verò, licet iis careant in ſe, in capite ſuo, cujus nomine miniſtrant, meritò cenſeri, & ſic Ordinis fieri conſortes.

Præterea reprehendit me Moguntienſis, quòd in *Genio Miſſæ* ne formaverim

rim quidem Controversiæ statum, quùm nihil afferam de Sacerdotibus ministris. Ast is non attendit Geometrarum, quos imitor, esse morem, in Definitionibus ponere Controversiæ statum. Feci hoc *Defin.* 2. *Genii Missæ* (quæ & hîc num. 2. est collocata) his verbis: *Romæ Sacerdotes innuo illos, qui ad Missæ Sacrificium offerendum gloriantur se divinitùs esse vocatos, ut Vicarios Christi ministros.* Huc etiam tendunt Demonstrationes allatæ; nam *Prop. XI. num.* 11. *Genii Missæ* (quæ hîc est *Propos.* 16.) infero: non admittere Christum vel Vicarium, vel Collegam, vel quocunque nomine veniat, *subdelegatum succenturiatúmve ministrum.* Et rursus *Prop. XIV. num.* 3. *Gen. Miss.* (quæ hîc est *Prop.* 41.) *Unicum est Christi Sacrificium. Ergo post illud semel oblatum, nec ipse offert aliud per se, nec per Vicarium ministrum, quem etiam non habet.*

Ast, quid Adversario imposuerit, ipsemet prodit in examine *Propos. XII. Gen. Miss.* (*hoc loco Propos.* 16.) in qua

Ro-

Romæ Sacerdotes dixeram gloriari esse ἀφωρισμένους εἰς προσφορὰν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ &c. Quem ἀφορισμὸν ipse capit notione χωρισμοῦ, ac si Sacerdotibus Romanis ex mente ipsorum tribuerem Sacerdotium, à Christi Sacerdotio separatum: quùm contrà ex Definitione mox allegata discere potuisset, ἀφορίζειν mihi idem esse, quod eligere & vocare; non secus ac Paulo, qui se dicit ἀφωρισμένον *segregatum* in Evangelium Dei *Rom.* 1: 1. Item *Chron.* 23: 13. ויבדל אהרן ubi Vulgatus: *Separatus est Aharon, ut ministraret in Sancto Sanctorum.* Candorem potiùs meum hoc arguit, ne quis αὐθαιρέτους καὶ αὐτοτελεῖς in functione sua eos videri velle arbitretur. Sed ad rem.

Ordinem Sacerdotalem non admittere ullum Sacerdotem, ne minimum quidem ministrum, qui Ordinis istius Characteribus ipsemet in sua persona sit destitutus, patet

I. Ex indole Ordinis & Characterum. Ordo similitudinem requirit in ipsis

ipſis Sacerdotibus, & quidem quoad Characteres perſonales, eoſque potiſſimùm, qui perſonis ipſorum ineſſe debent ab ortu, antequam illi in Ordinem poſſunt admitti, *juxta Defin.* 5. *&* 6.

Dices, ſufficere miniſtros Sacerdotes præditos eſſe iſtis Characteribus propter communionem cum Sacerdote Summo.

Reſp. 1. Tunc omnes fideles fore Sacerdotes Ordinis Melchiſedeciani κυρίως ità appellatos. Sed unde tunc ſpecialem ſuam vocationem, quâ ultra fidelium vulgus eminere in Sacerdotio gestiunt, arceſſent Sacerdotes Romani?

2. Characteres illi ineſſe debent ab ortu, *Defin.* 5, 6. Ergo non per communionem aut quamcunque imputationem moralem. Imò hi Characteres, qui ortum reſpiciunt, ejus ſunt conditionis, ut communicari ulla ratione non poſſint. Facit quidem communio cum Chriſto, ut, ipſo mortuo, ſimus mortui 2. *Cor.* 5: 15. illoque in cœlos translato, in ſupercœleſtibus ſimus colloca-

locati *Eph.* 2:6. Ast ἀπάτορες καὶ ἀμήτορες ut simus, dierúmque initio carentes, quia Filius Dei est talis, fieri neutiquam potest, nec usquam proditum est in Scripturis.

II. Ex Ordinis Aharonici exemplo; qui ne infimum quidem ministrum admittebat Sacerdotem, nisi qui in se & sua persona istius Ordinis Characteribus erat notatus. *Prop.* 3. *&* *Schol. illius.* Jam si minister, qui ipsemet iis Characteribus caret, personam induit sui Principalis unà cum Characteribus illius, cur id non valebat in Ordine Aharonis? Lex enim id vetat non sine gravi comminatione. *Omnis extraneus*, qui ex filiis Aharonis non est, *accedens morietur.* *Num.* 3: 10. Cur fas non erat alicui istius Ordinis Sacerdoti subdelegare alium quempiam ex quacunque tribu Israëlis? Imò cur ne Summo quidem id licebat Pontifici? Quid obstabat? Citra dubium, Ordo, dicetis, obstabat, divino quidem arbitratu constitutus; attamen, quem, quia semel placuit, fas

non fuit, extraneos admittendo, turbare aut quocunque modo laxare. Cur igitur, quod in Aharonico nefas erat & excidio dignum (*Schol. Prop.* 3,) audetis in Melchiſedeciano?

Ne quis autem hunc Ordinem Aharonico arbitretur laxiorem, inſigni Oraculo cautum eſt. Legimus id *Jerem.* 30: 21. Inducitur hic Pater loquens de Filio ſuo, ut Duce ac Dominatore, prodituro ex medio Iſraëlis, h. e. naſcituro ex ſemine Davidis ſecundum carnem, ut primo eum Melchiſedeciani Ordinis Charactere nimirum Regio intelligas eſſe inſignitum. Mox verò de Sacerdotio ipſius ſubjungit, והקרבתיו ונגש אלי *faciam, ut accedat, & accedet ad me* tanquam Sacerdos: hic enim utriuſque vocabuli, dum de Sacerdotio ſermo inſtituitur, communiſſimus eſt uſus *Exod.* 19: 22. *Lev.* 10: 3. *Num.* 3. 10. *&* 16: 5.

Denique cur ſolum Filium admoveat Sacerdotio & neminem in eo Ordine alium, rationem reddit impotentiam

&

& meticulositatem omnium aliorum, idque interrogatione, quovis telo penetrantiori. *Quis enim*, inquit, *iste est, qui applicet cor suum*, aut spondeat pro corde suo לגשת אלי *ut accedat ad me* Sacerdotio functurus? *ait Jehovah.* Si Pontificiis credimus, vel infimus Sacrificulorum responsabit interroganti Deo. Ego; Ego sum iste, qui ea animi sum fiducia, ut accedam ad Te, tanquam legitimus auctoratúsque à Christo Ordinis Melchisedeciani Sacerdos.

PROPOSITIO XXVII.

Romani Ordinis Sacerdotes potiùs Aharonicæ sunt τάξεως quàm Melchisedecianæ.

Demonstratio.

Non pertines quidem, Accusator, ut Sacerdos audis ad prædicamentum Aha-

ronis aut Melchiſedeci *per Prop.* 27. Analogicè tamen ad Aharonicum, velis, nolis, referendus videris; hoc enim Analogia ſuadet, *juxta Poſtul.* 4, quæ major tibi intercedit cum Aharonidis, quàm Melchiſedeco.

I. Eſtis enim ejuſdem Ordinis plures; Pontifex Maximus, qui Chriſti סגן atque Vicarius audit. Trahit hic prolixiſſimum poſt ſe Sacerdotum ſyrma, cui Aharonicum, ſi reviviſceret, vix foret comparandum.

II. Eſtis homines mortales; morte deceditis ſtatione, ſucceſſoribus locum facientes.

III. Eſtis denique peccato obnoxii, pro veſtris æquè ac populi peccatis offerentes, qui Aharonici Ordinis ſunt Characteres. Liceat igitur de tuo Sacerdotum Ordine dicere ex *Apoc.* 17: 9. ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καίπερ ἐστιν. *Erat* tempore Veteris Teſtamenti in familia Aharonis. *Et non eſt*, de jure ſcilicet, Chriſtus enim Novo Sacerdotio vetus antiquavit, ejuſque infirmitatem ac in expiando peccato inutilitatem demonſtravit. *Nihilominus*

nus tamen est, de facto nimirum : Revixit enim Vetus in Novo, quod Romana Ecclesia οὕτω θέλουσα καὶ ἀσύγκλωστα συγκλώθουσα invexit; idque להשניה זמנין ad mutandum tempora *Dan.* 7: 25. Vetus enim Testamentum, quod servitutis erat, ejusque hierarchiam reduxit in Novum, quod libertatis est.

COROLLARIUM.

Missa igitur est Sacrificium ἀναλόγως Aharonicum.

Vindiciæ.

Non facio hîc Sacerdotes Romanos Ordinis Aharonici, ut Anonymus arbitratur, sed Analogicè tantùm eò reduco, sicut ex Corollario apparet. Mirum autem est, Moguntinum *in Examine Prop.* 15. *Gen. Miss.* conqueri de termino *Ordinis Romani*, cujus nulla in præcedentibus Propositionibus facta sit mentio, ut propterea plus sit in conclusione, quàm præmissis ; Nam non æquivalens tan-

 tùm,

tùm, ſed ipſemet αὐτολεξεὶ occurrit. Quid enim ſibi volunt ea verba, quæ leguntur *Gen. Miſſ. in fine Prop.* 12: quæ in hoc libello eſt 26. *Quis igitur es, quùm neque Aharonis, neque Melchiſedeci ſis? Reliquum eſt, ut peculiarem tibi claſſem aſſignemus, nimirum* ἀταξίαν τῆς ῥώμης. Et literis, ni fallor, ſatis conſpicuis idem terminus exſcriptus eſt Propoſitione *Genii Miſſ.* 13, (hîc 27.) cujus initium eſt: *Ordinis Romani Sacerdotes &c.*

PROPOSITIO XXVIII.

Sacrificium Miſſæ à Sacerdotibus offertur, qui & ψευδώνυμοι ſunt & בעלי מום h. e. vitio laborant.

Demonſtratio.

Patet prius. Sacerdotes enim Miſſatici ſunt iidem, qui Romani *per Def.* 2. Atqui hi ſunt ψευδώνυμοι *per Coroll. Propoſ.* 26. Ergo Sacrificium Miſſæ offertur à Sacerdotibus ψευδωνύμοις.

Patet

Patet posterius. Ordinis Sacerdotes oportet esse instructos Ordinis sui Characterismis *per Defin.* 6. & quidem in suis ipsorum personis, *per Prop.* 26. *& Vind. ejus.* Atqui Ordo Melchisedeci Characterem requirit ἀναμαρθησίαν *Propos.* 11. Contrà verò, qui Missæ asistunt Sacerdotes, peccatis sunt maculati. Ergo hoc ipso sunt בעלי מום

SCHOLIUM.

Phrasin, quæ in Aharonico Ordine vitium corporis notabat, hîc transfero ad animæ labem; idque meritò jure: Quia illi Sacerdotes, licet peccato inquinati, legali tamen puritate, quæ in integritate membrorum, vestium concinnitate, &c. consistebat, minimè carere debebant: de quo Bar Maimon *Biath Hammikdasch. Cap.* 6: *v.* 1. כל כהן שיש בו מום בין מום קבוע בין מום עובר לא יכנס במקדש מן המזבח ולפנים שנאמר אל הפרכת לא יבא ואל המזבח לא יגש ואם עבר ונכנס לוקה אף על פי שלא עבר ואם עבר במקדש פסל וחלל עבודה שנאמר אשר יהיה בו מום לא יקרב: *Nullus*

Sacerdos vitio laborans, sive sit fixum, sive transiens, ingredietur Sanctuarium ab ara usque ad interius illius, ut dictum est: Ad velum non veniet, neque ad altare accedet. *Si verò transgreditur intrando, verberatur, etiamsi cultum non obierit. Si verò obiit in Sanctuario, reprobavit ac profanavit cultum, & verberatur etiam super obito cultu, ut dictum est;* qui vitio laborat, non accedet.

Huc faciunt & ritus, observandi Sacerdotibus Sanctuarium ingressuris, qualis præcipuè est lotio manuum ac pedum, quam Hebræi, ut internæ puritatis symbolum, Sanctificationem appellant. Ita enim idem ibidem *Cap.* 5: 1, 2.

מצות עשה לקדש כהן העובד ידיו ורגלין ואחר כך יעבוד שנאמר ורחצו אהרן ובניו ממנו את ידהם ואת רגליהם וכהן שעבד ולא קדש ידיו ורגלין שחרית חיב מיתה בידי שמים שנ׳ ירחצו מים ולא ימותו ועבודתו פסולה בין כהן גדול בין כהן הדיוש ומנין שעבודתו פסולה שנ׳ חוקת עולם הוא ולזרעו: *Præceptum affirmativum est, ut Sacerdos obiens cultum sanctificet*, h. e. la-

lavet *manus ac pedes ac postea operi se accingat, sicut dicitur.* Et lavabunt Aharon & filii ejus ex ipso manus ac pedes suos. *Sacerdos autem cultum obiens, dum manè non lavit pedes ac manus suas, reus est mortis per manum divinam, ut dicitur:* Lavabunt se aqua, ne moriantur. *Et cultus ipsius est reprobus, sive sit Summus Sacerdos sive idiota,* h. e. è plebe Sacerdotum. *Sed unde probatur cultum ipsius esse nullum? Ex eo, quod dictum est.* Statutum Seculi hoc, & semini ejus.

Prout autem umbraticum erat cum universo Cultu hoc Sacerdotium, ità membrorum integritas & lotionis ritus documento erat, Sacerdotem φερώνυμον, cui non typicè, ut ipsi, sed verè accedendum ad Deum, quò Sacrificium offerat verè expians peccata ac propitians Deum, ab omni peccato immunem esse debere. Meritò autem, ut labe notati, reprobantur Missæ Sacerdotes, cùm neque Legali, (utpote quæ expiravit cum Ordine Aharonis *Prop.* 18.) neq;

Sacerdos vitio laborans, sive sit fixum, sive transiens, ingredietur Sanctuarium ab ara usque ad interius illius, ut dictum est: Ad velum non veniet, neque ad altare accedet. *Si verò transgreditur intrando, verberatur, etiamsi cultum non obierit. Si verò obiit in Sanctuario, reprobavit ac profanavit cultum, & verberatur etiam super obito cultu, ut dictum est;* qui vitio laborat, non accedet.

Huc faciunt & ritus, observandi Sacerdotibus Sanctuarium ingressuris, qualis præcipuè est lotio manuum ac pedum, quam Hebræi, ut internæ puritatis symbolum, Sanctificationem appellant. Ita enim idem ibidem *Cap.* 5: 1, 2.

מצורת עשה לקדש כהן העובר ידיו ורגלין
ואחר כך יעבור שנאמר ורחצו אהרן ובניו
ממנו את ידהם ואת רגליהם וכהן שעבד ולא
קדש ידיו ורגלין שחרירת חיב מיתה בידי
שמים שנ׳ ירחצו מים ולא ימותו ועבודתו
פסולה בין כהן גדול בין כהן הדיוש ומנין
שעבודתו פסולה שנ׳ חוקת עולם הוא
ולזרעו : *Præceptum affirmativum est, ut Sacerdos obiens cultum sanctificet*, h. e. la-

lavet *manus ac pedes ac postea operi se accingat, sicut dicitur.* Et lavabunt Aharon & filii ejus ex ipso manus ac pedes suos. *Sacerdos autem cultum obiens, dum manè non lavit pedes ac manus suas, reus est mortis per manum divinam, ut dicitur:* Lavabunt se aqua, ne moriantur. *Et cultus ipsius est reprobus, sive sit Summus Sacerdos sive idiota,* h. e. è plebe Sacerdotum. *Sed unde probatur cultum ipsius esse nullum? Ex eo, quod dictum est.* Statutum Seculi hoc, & semini ejus.

Prout autem umbraticum erat cum universo Cultu hoc Sacerdotium, ità membrorum integritas & lotionis ritus documento erat, Sacerdotem φερώνυμον, cui non typicè, ut ipsi, sed verè accedendum ad Deum, quò Sacrificium offerat verè expians peccata ac propitians Deum, ab omni peccato immunem esse debere. Meritò autem, ut labe notati, reprobantur Missæ Sacerdotes, cùm neque Legali, (utpote quæ expiravit cum Ordine Aharonis *Prop.* 18.) neq;

vera gaudeant perfectione ac puritate, ut ipsimet fatentur.

PROPOSITIO XXIX.

Christus Missaticus est קרבן כלאים seu victima heterogenea.

Demonstratio.

Qui in Missa offertur Christus, est cùm ex Virgine, tùm ex pane & vino. Ibi virtute Spiritus Sancti; hîc vero virtute verborum à Sacerdote prolatorum, *per hypoth. Missat.* Ergo est heterogeneus *per Lemma.* 15.

SCHOLIUM.

Operam me perdere putes, quòd Missæ vitia exigam ad normam illorum, quæ Lex olim in Aharonicis notavit: Quùm constet eam civibus Novi Testamenti dudum mortuam, ut ejus vinculis omninò sint soluti, non secus ac mu-

mulier, mortuo marito. *Rom.* 7: 1. *seq.* Ast hæc, utut vera sint, non impediunt tamen, quò minùs Lex typicâ, qua pollebat, vi æquè vitia notarit Sacrificii Anti-Christi, quàm victimæ Christi virtutes descripsit. Parùm tamen hæc omnia me moverent, si sola essent, neque argumentis aliunde petitis suffulta; quo casu fateor Theologiam parabolicam non esse demonstrativam. Ast quoniam ea fortissimis demonstrationibus undiquaque sunt stipata, non vereor hæc vitia pronunciare typica ac figurativa vitiorum, quæ in Sacrificio Anti-Christiano conspicua erant futura: Quæ propterea, ut Missæ βδελύγματα eò pleniùs recenseam, non esse censui omittenda.

Prout autem Lex, quæ in placitis consistit, duplicem potissimum præstabat usum, quatenus erat (1.) μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ sepimentum parietis intergerini inter Judæos ac Gentes. (2.) σκιὰ τῶν μελλόντων umbra rerum futu-

futurarum. Juxta duplicem illam χρῆσιν, duplicem, ut aliorum, ſic & hujus de vetitis כלאים præcepti rationem licet alſegare. Priorem uſum præcipuè & ferè unicè attendit ſæpius laudatus Auctor libri Moreh, ut in genere, dum primam univerſæ Legis intentionem ſtatuit eſſe hanc, להסיר עבודה זרה ומחות זכרה וכל הנתלה בה: *removere idololatriam ac delere memoriam ejus, & omnium, quæ ab illa pendent* *Part.* 3. *Cap.* 29. Sic etiam in ſpecie circa hoc præceptum; cujus hanc rationem eſſe arbitratur, quòd Deus voluerit obviam ire ſuperſtitioni veterum Zabæorum, utpote qui ritum hunc in cultu idolorum adoptarint, ut ſe inveniſſe ait, in libro quodam, in quo quamplurimæ Nebatæorum ſuperſtitiones fuerint deſcriptæ; quemadmodum apparet ex integris viginti quinque Capitibus à Cap. 29. uſq; ad 54, quod Partis tertiæ totiuſque Libri Moreh poſtremum eſt.

Recenſet verò Idololatriam illam hoc modo: זכרו בבאור בספר העבודה ההוא כי מנהגם היה לזרוע שעורה וחרצן יחד

יחר וחשבו שלא יהיה הכרם טוב אלא בזה ולכן אסרה התורה כלאי הכרם :

Explicatis verbis meminerunt in hoc libro de Religione, quòd mos eorum fuerit seminare hordeum & acinos simul: Cogitantes, fertilem non fore vineam, nisi per hoc. Et propterea prohibuit Lex heterogenea vinea. Cap. 37: part. 3. *circa finem.* Quem eorum morem ex superstitione profectum satis apparet ex eo, quòd nemo, nisi fortè insanus, vineam conserat sive acinis sive vinaceis (quid enim per חרצן intelligendum, Talmudici disceptant, altero id integros uvarum folliculos, altero lapillos iis inclusos interpretante) ut inde sive vitis proventum sive vindemiam expectet. Ex qua insana Arabum Religione, ut legem de seminum vestiumque, ita & animalium heterogeneis non commiscendis profectam conjicit Spencerus lib. II. de Leg. Hebr. Ritual. cap. 20.

Sed quicquid horum sit, quæ usu forsan suo non caruerunt, quamdiu Lex septi rationem habebat, quo Israël à reliquis Gentibus disterminabatur, nul-

late-

latenus tamen negligenda nobis eſt altera eáque potior Legis conſideratio, juxta quam, quæ futura olim erant, adumbrabat ex inſtituto Legislatoris *Col.* 2: 17. *Hebr.* 10: 1.

Inſinuat hoc ipſamet indoles horum Præceptorum, utpote quæ *Lev.* 19: 19. חוקים ſtatuta appellantur, obſervante id R. Bechai ad hunc locum fol. 143. column. 1. & 2. Qui poſteaquam rationem prohibitorum Kilaim afferre ſtuduerat על דרך הפשט juxta ſenſum ſimplicem ac literalem, ſcilicet; quod heterogenea commiſcens משנה ומכחיש מעשה בראשית שכתוב שם למינהו והוא עשה הפך : *alteret imò neget opus creationis, quia ibi ſcriptum eſt* : In ſpeciem ſuam. *Ipſe autem facit contrarium*; Nihilominus tamen ſublimius quippiam ſubeſſe prodit his verbis: ועל דרך הקבלה בסוד מצות הכלאים מצוה זו ממצוות הנקראות חוקים ואין תכלית הכוונה בחוקים האלה בענינים הגופניים בלבד וגו׳ : *Quantum vero ad myſticam interpretandi rationem circa myſterium*

rium Præcepti de heterogeneis, Præceptum hoc est ex numero eorum, quæ Statuta vocantur. Horum autem Statutorum intentio non absolvitur rebus corporalibus &c. Paucis verò interjectis evolvit etymon hoc modo : זה לשון חוקים מלשון חקיקה וציור כי הם ציורי ענינים שכליים וגו׳ : *Vox* חוקים *originem ducit à voce scriptionis & delineationis ; sunt enim intelligibilium rerum picturæ.*

Ut igitur, quid monstri alat hæc lex, clarè ob oculos ponamus, non inutile erit ipsius etiam vocis כלאים sensum investigare. Monstrant autem ipsa literarum elementa radicem כלא, cujus propriissimus significatus est, *claudere, cohibere.* Jam ejusmodi verba conjunctam simul habent impossibilitatis notionem ; uti *Job.* 42: 2. לא יבצר ממך מזמה *non claudetur præ te cogitatio*, quod LXX. vertunt : ἀδυνατεῖ σοι ὐδέν, nihil tibi impossibile est : quod sequitur *Sanctus Lucas* 1. *vers.* 37. Unde impossibile vocatur He-

Hebræis נמנע *prohibitum*, & impossibilitas מניעה *cohibitio*. Attendenda est præterea terminatio, quæ prodit numerum dualem. Notat igitur Kilajim duo extrema, quorum ea ad se invicem est ratio, ut prohibeantur conjungi, sive ob indecentiam sive ob impossibilitatem.

Debeo hæc Mystico Hebræorum Doctori Bechai, ut apparet ex iis, quæ habet in loco modo allegato: זהו סוד הלשון כלאים שהוא לשון מניעה: *Hoc est Mysterium vocis* כלאים, *quòd sit vocabulum cohibitionis seu impossibilitatis.* Vitium igitur, quod Lex vetat, est conjunctio duorum extremorum, quæ conjungi non debent, vel etiam non possunt, ut idem statim docet: על כן נאסר לנו הכלאים כי הוא חבור שני קצוות שהם שני הפכים אין ראוי לחבר אותן כי אין חבורן עולה יפה אבל ראוי להרחיקם ולהפרידם זה מזה: *Propterea prohibitum est nobis heterogeneum; illud enim est conjunctio duorum extremorum, quæ, utpotè sibi invicem adversa, conjungi non decet;*

cet; nam conjunctio eorum est inconcinna: Convenit autem, ut ea elongemus atque à se invicem separemus.

Juxta etymon vocis loquitur res ipsa, Kilajim esse confusionem rerum, quæ diversæ sunt indolis ac naturæ. Et Analogia non obscurè monstrat, vetari hîc non tantùm hypocrisin & duplex cor *Psal.* 12: 4, verùm etiam commixtionem dogmatum ποικίλων καὶ ξένων cum Veritate Divina *Hebr.* 13: 9. Prout enim veritatum divinarum mira est harmonia, ut & inter se & in fundamento conveniant, sic error, qui admiscetur, facilè proditur sua cum oppositis veritatibus & præcipuè fundamento incongruitate. Contrà commendatur nobis cùm ἀκεραιότης columbina, tùm etiam fidei ἁπλότης. Idem enim est antiquus ille serpens, qui & Evam decepit ἐν πανουργίᾳ αὐτοῦ, & qui in ludibrium Dei Gentibus sui cultum persuasit, quo, quæ Auctor naturæ in species suas voluit esse distincta, turpiter confudit. Idem, inquam, ille est, qui & hodiè omni studio quærit, ἵνα φθαρῇ τὰ νοήματα ἡμῶν ἀπὸ

τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστὸν, & ut alium Christum, alium Spiritum, aliud Evangelium nobis obtrudat 2. *Cor.* 11: 3, 4. Idque non tantùm per Pseudapostolos Judæos, qui victimarum veterum nidore juxta Christi Sacrificium volebant Deo litare, verùm etiam & potissimùm in Missæ Sacrificio, ubi Cœlum terræ miscendo ex Christo facit idolum, cui postmodum adoratio defertur, & cujus nomine propitiatio Dei ac peccatorum remissio speratur. Quid enim aliud magis arguere potest φθορὰν νοημάτων, quàm credere, Christum, qui ante sesquimillennium & ampliùs ex virgine est natus, eundem esse cum eo, quem hodiè confecit Popa aliquis, vel cras confecturus est ex pane? Si hæc confusio non est, quæ unquam?

Quò & Legem respicere prohibendo commixtionem heterogeneorum, ex eo liquet, quòd, quæ aliàs illicita erant extra usum sacrum, multò magis reproba essent ad aram: Unde & Hebræi

hoc

hoc vitium in Sacrificiis notare operæ pretium duxerunt, ut *Lemm.* 15. ostendi.

Ast, inquies, qualis in Missæ victima sive animalium, sive seminum, confusio? Nihil horum apparet in illa, quæ Lex de heterogeneis vetat. Velim igitur observari, quod & suprà *Lemm.* 10, inculcavi, nimirum speciem typi externam non inferre eandem speciem in anti-typo; aliàs alæ illæ Seraphicæ, promptitudinis Symbolum, qua Angeli exequuntur divina mandata, evincerent illos alis verè talibus esse instructos. Sufficit itaq; ut quæ in typo sint externa atque corporalia, in antitypo sint spiritualia atque interna; qua ratione Christus erat Nasiræus, quamvis externos eorum ritus non observaret. De Christo Missatico idem cogitare fas sit, qui, licet in eo non compareant eæ confusionum species extrinsecæ, quæ in legalibus illis Statutis vetabantur, nihilominus tamen veram antitypi rationem habet, quùm in eo tanta sit duorum tàm diversæ, imò adversæ indolis extremorum commixtio ac verè תבל confusio, quanta

in rebus externis ac materialibus unquam poteſt inveniri. Vindicias hujus rei prolixas vide infra *Prop.* 33.

Neutiquam hæc favent Judæis, qui ex hoc capite ſugillare poſſent Dominum Jeſum, utpote conceptum ex Perſona Divina, & humana, nimirum Spiritu Sancto & Virgine. Abſit enim, ut cum Socinianis comminiſcamur factam eſſe in divina hac conceptione ullam ſeminum confuſionem & venereum congreſſum. Neque extrema hic combinantur adverſa, quæ ob naturæ repugnantiam potius eſſent dirimenda. Quid enim vetat, extruere Spiritum Sanctum corpus aliquod ex ſubſtantia Virginis? Nihil magis certè, quàm Deum ex corpore viri ædificare corpus muliebre. Ne minima quidem hîc contrarietatis eſt umbra, quo demum caſu haberent Judæi, cur ipſum & victimam ipſius, tanquam Kilajim, criminarentur.

PRO-

PROPOSITIO XXX.

Christus Missaticus est קרבן נדמה victima habens speciem alienam.

Demonstratio.

Christus in Missa est victima latens sub specie panis & vini *per hypothesin Adv.* Atqui ea ipsi est aliena, magis certè, quàm capræ species ovi. Ergo *per Lemm.* 16. est Korban Nidmeh.

SCHOLIUM.

Vitium hoc, fateor, non notatur explicatis verbis in Lege, attamen sub præcepto circa victimarum vitia generali, hoc tanquam speciale contineri, rectè judicant Hebræorum Magistri, ut suprà *Lemm.*16. ratiocinantem audivimus alterum eorum Mosen: *Nullum*, inquit, *vitium permanens majus esse potest*, *quàm hæc variatio*, qua vel ovis capræ, vel capra ovis speciem habet. Quùm enim

generatio ſit productio ſimilis, ea certè vitioſa cenſenda eſt, quâ fœtus prodit, qui alterius ſpeciei ſimilitudinem refert. Imò hoc ſuſpicionem injicit commixtorum heterogeneorum, quæ à Sacris longiſſimè abeſſe debet: Quæ ratio eſt, cur R. Levi ben Gerſom Kilajim & Nidmeh ut duo affinia vitia conjungat, dum ad *Lev.* 22: 26. ità annotat fol. 166. למדנו
שלא יותר למזבח אלא מה שהוא ממין
מיוחד לא מה שהוא מורכב משני מינים כי
הוא אינו שור ולא כבש ולא עז וכבר יתבאר
שלא יותר אם לא היה דומה למינו והמשל
שאם היה בכאן עז והוא דומה לכבש הנה
לא יותר למזבח כי הוא אינו כבש ולא עז
לפי שהוא דומה לכבש : *Diſcimus, altari idoneum non eſſe, niſi quod ex unica tantum ſpecie eſt, non vero, quod ex duabus commixtum eſt: id enim neque bos eſt neq; ovis, neque capra. Et suprà oſtendimus, aptum non eſſe ad aram, ſi ſpeciei ſuæ non ſit ſimile. Sit exempli gratia capra, quæ ſimilis eſt ovi, ecce illa non eſt idonea aræ, quia neque ovis eſt, neque capra, quùm ſit ſimilis ovi.* Meritò igitur jure hæc animalia ab altari exulare voluerunt veteres Hebræi.

Di-

Dices forte, quî hoc in vitio pones, vestiri specie aliena, quùm apparitiones divinæ quamplurimæ involvant assumptionem speciei alicujus peregrinæ? Nonne enim Jehovah apparuit Abrahamo sub specie virili? Nonne Spiritus S. induit speciem columbæ? Imò nonne Filius Dei, assumpta servi forma, apparuit sub specie carnis sibi aliena? Cui, ut occurratur, notandum est, speciem ejusmodi alienam non habuisse vitii rationem extra Sacrificium, ut minimè pollueren-tur, qui istiusmodi animalia comedebant; aliter ac in heterogeneorum commixtione obtinebat, quæ etiam extra cultum in profano usu abominationi erat. Patris igitur & Spiritus Sancti, quùm nulla ratione victimæ sint, exempla huc non quadrant.

Quantum verò ad speciem humanam, sub qua Christus apparuit ex Virgine natus, ea ipsi minimè censenda est esse aliena. Nam (1.) refert speciem Matris suæ, (2.) concordat cum principiis sibi intrinsecis, ut vero homini ac Fratri nostro debi-

lis. Quoniam enim pueri participes ſunt carnis ac ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem; Non igitur externam tantum ſpeciem, ſed & ipſam hominis naturam aſſumpſit, ſeu, ut cum Auguſtino loquar Civ. D. lib. 10. cap. 29. ipſum hominem indutus eſt, adeò ut, quùm fratribus ſuis per omnia debuerit aſſimilari, cum ipſo aſſumpto corpore humano ſpecies ejus externa ſibi propria ac debita neceſſariò fuerit induenda. Cum victima autem Nidmah aliter eſt comparatum, utpote, quæ matri non tantùm erat diſſimilis, verum etiam formâ gaudebat externa, quæ à ſua ipſius natura diſcrepabat.

Conferenti igitur hoc vitium, quod convenienter Legi Div. in victimis Aharonidarum atro carbone notatũ reperimus, cum ea ſpecie, quam Chriſtus ſupponitur habere in Miſſa, manifeſtum evadit, victimam Miſſæ ab hac labe non eſſe immunem. Quid enim, an panis & vinum referunt ſimilitudinem matris Domini Jeſu, Beatiſſimæ Virginis?

An

An eorum ſpecies concordat cum intrinſecis principiis corpus ipſius humanum componentibus ? Minimè verò. Eſt igitur ſpecies aliena, qua Chriſtus in Miſſa induitur, quæ vitium Nidmeh exhibet modo tam craſſo, ut in oculos incurrat, imò manu palpetur.

PROPOSITIO XXXI.

Chriſtus Miſſæ panaceus eſt קרבן מחוסר זמן h. e. victima, quæ nondum attigit juſtam ætatem, dum offertur in Miſſa.

Demonſtratio.

Pauliſper & conficit ſuum Chriſtum Sacerdos; & rurſus pauliſper & offert ſuum Chriſtum Sacerdos *juxta praxin Miſſo-Liturg.* Corpore igitur ſuo, quod recens accepit ex pane & vino, nondum attigit diem octavum, minimam ætatem à Lege in victima requiſitam, *Lemm.* 17; nedum annum, definitum à Lege circa inſigniorem Chri-

ſti typum, agnum Paſchalem, *Lemm. eodem*: multò minus triceſimum circiter quartum, quo Chriſtus ſe victimam erat oblaturus *Lemm.* 4. Eſt igitur ad victimam nimis immaturus.

PROPOSITIO XXXII.

Idem excedit legitimam ætatem à Deo definitam.

Demonſtratio.

Tempus, quo mortem obiturus erat Chriſtus, unà cum illius ætate, definitum eſt à Deo, extra quod animam ponere fas ipſi non erat *Lemm.* 4. Atqui mors ejus eſt Sacrificium, & quidem unicum, *Prop.* 17, præter quod ille neque per ſe, neque per vicarios offertur *Prop.* 19, 20. Chriſtus igitur, offerendo crucis Sacrificium, præcisè legitimæ fuit ætatis, non ultrà. Et per conſequens in Miſſæ Sacrificiis ſeriùs oblatis excedit ætatem à Deo definitam.

SCHOLIUM.

Nemo miretur, quòd ultimæ duæ Propositiones è diametrò sibi adversentur, quùm eas deduxerim ex hypothesi, quæ ex pugnantibus καὶ μὴ προσκολλωμένοις est commixta, non secus ac pedes colossi Nebucadnezariani ex luto ac ferro. Christum enim confingunt, & fuisse dudum ante annos mille & sexcentos, & recens tamen hodiè à Sacerdote produci. Si tempus igitur computes hoc, quo & confit in Missa, & victimatur in Missa, aliquot solùm momentorum facies Christum, ac legitima ætate inferiorem, *Prop.* 31. Si vero id, quo ex virgine est, superiorem *Prop. hac* 32.

Contrà verò sub Lege animalium Sacratioribus victimis destinatorum & horæ observabantur, ut justa ætate nec majora essent nec minora, notante Ægyptio Hebræorum Magistro Maase Korban. *Cap.* 1:13. שעות מונין לקדשים ואם הוסיפו שעה אחת או פחתו שעה אחת פסולין; *Circa victimas sanctiores*

res numerantur & horæ. *Si excedunt* justam ætatem *horâ unâ, aut deficiuntur hora una, reprobantur.* Unde si, quod de typo, idem de antitypo ferendum est judicium, Christus Mislaticus eò majori ratione abominandus est in ara, eò quòd non uno tantùm horum sed (quod stupendum est Babylonis mysterium atque verè שקוץ שומם) vitio simul utroque laboret.

Ratio, cur victima placuerit Deo nec juvenis nimiùm, nec nimiùm senex, pendet ex Lege, qua victimam integram omnique labe carentem sibi voluit immolari; Senectus enim ipsa est morbus & ut plurimum labe notata; animal verò infra octo dies vix discernes ab abortu; Quam ob causam Lex de victimæ ætate immediate subjuncta est iis, quæ vitia recensent *Levit.* 22: 18—27. In eandem mentem scribit Ralbag in Legem fol. 167. דקדקה התורה בזה לפי שלא יתבאר לנו מהנולד שלא יהיה נפל אע״פ שנולד באופן שלם אם לא עברו עליו ז׳ ימים ולזה לא יותר להקריבו קודם זה הזמן :

Accu-

Accuratè observat hoc Lex; Propterea quod nobis non constet de partu, quod abortivus non sit, etiamsi modo perfecto, h. e. vià ordinarià, *sit editus, nisi transierint super illo septem dies, atque ideò aptus non est oblationi ante hoc tempus.*

Ut igitur, quod umbræ est, ad ipsum corpus, quod in Christo est, referamus, facilè patebit meditanti, collimare hæc ad vitæ Christi curriculum, quo probatum dare posset, conceptum ac nativitatem suam esse omni ratione perfectam, multúmque distare à reliquorum hominum Ortu, qui, quùm fœtum edat non tantum moribundum, sed & jam mortuum in peccatis, abortus potius dici meretur. Prout itaque sanitas corporis, quæ intra octiduum explorabatur, argumento erat, partum illius animalis non esse abortivum, sed perfectum ac idoneum aræ: Sic vitæ in Christo integritas, dum omnem justitiam implevit, nulliusque peccati poterat convinci, ortus sui integritatem, ac sui aptitudinem in futuram victimam luculenter demonstrabat. Opus igitur erat quodam

dam temporis intervallo, quo se ἀμνὸν ἄμωμον καὶ ἄσπιλον mundo ostenderet, cujus pretioso sanguine essemus redimendi.

Porrò non vitæ tantum puritate, sed etiam cœlesti doctrinâ inclarescere ac miraculis illustris fieri debuit juxta oracula Prophetarum, ut ratio appareret, cur in morte ipsius tanquam victima Deo accepta fideles confidere indeque salutem possent expectare.

Quid verò horum videre est in fictitio illo Christo, cui creditur Hierophanta aliquis aptasse corpus ex pane? Significationem in pane & vino mysticam agnosco, imò obsignationem bonorum cœlestium, & consequenter corroborationem fidei, inflammationem amoris erga Deum, Christum Servatorem, ac proximum, incentivum gratiarum actionis, studium ambulandi in nova vita, confirmationem spei &c. Sed de corpore illo loquor, cujus substantiam Christus fingitur accepisse ex pane. Quî Christus ille veritatem hujus corporis vel ad sensus vel

ad

ad hominum conſcientiam demonſtrat? Aſſervetur hoſtia conſecrata , uſque dum æquet Methuſalachi ætatem , nihil agere comperietur Chymæricus ille Chriſtus , quo vel legitimum oſtendat ſui ortum ex pane ac popa , vel aptitudinem ſui in Sacrificium , idque ſiccum, nullo madens cruore , quo tamen peccatori propitium reddatur Numen offenſum. Ut plurimùm verò momentaneus tantùm eſt , ut quod inter ortum ejus & oblationem intercipitur tempus, breve nimis ſit, quàm ut ad id peragendum ſufficere queat.

PROPOSITIO XXXIII.

Qui in Miſſa offertur , eſt Pſeudo-Chriſtus.

Demonſtratio.

Chriſtus per certa γνωρίσματα diſtinguitur à ψευδωνύμοις *per Lemm.* 6. Et qui his

his destituitur, notatur vero incongruentibus Christo, spurius omnino est Christus *Axiom.* 13. Ast Missaticus ille destitutus est indiciis veri Christi veris, notatus verò est ipsi incongruis. Qui enim hodiè fit, quomodo olim jam fuit? Qui corpus suum accipit hodiè virtute aliquot Verborum à Mysta prolatorum, qua ratione id jam habuit à Spiritu Sancto conceptum? Cujus corporis substantia tota est ex pane, quî simul est tota ex virgine? Qui hoc momento producitur, quomodò passus est sub Pontio Pilato? Non igitur, qui in Missa est, Christus veri Christi habet Characteres, imò contrà habet ipsi non congruentes, ideóque est Pseudo-Christus.

Prætereà Christus non intrat in Sanctuaria manu facta, (neque ideò invenitur in illis) ut offerat ibidem *Lemm.* 3. Atqui Missaticus intrat hoc fine. Est enim ibidem, *per hypoth.* quùm antea non esset. Non igitur veri nominis est Christus.

Vin-

Vindiciæ.

Cùm, nescio, quo scotomate percussi οἱ ἐξ ἐναντίας non videant lucem veritatis tàm vividè radiantem, allatam demonstrationem veluti sensibilem reddere tentabo, ut veritas ad oculum ostendatur: quo fine collocutores audiamus Miso-Liturgum & Misso-Liturgum.

Miso-Liturgus. Quùm juxta fidem Ecclesiæ tuæ, ô Misso-Liturge, credas eundem esse Christum, qui in Missa ante paucula momenta à Sacerdote confectus est ex pane, & qui ante tot circiter annos, quot à nativitate ejus numeramus, ex Sancta Virgine est natus, putásne dogma hoc tuum non perimere principia, ut vocant, individuantia, seu ut clariùs loquar, notas seu Characteres, quibus hanc personam distinguimus ab illa?

Misso-Liturgus. Non puto.

Miso-Lit. Ast, quî juxta hypothesin tuam Adamum mihi discernes ab Abrahamo?

Misso-Lit. Hoccine eſt , quod me flagitas? quid enim hac re facilius? Adamum noſti ab ipſomet Deo & quidem ex terra eſſe creatum , Abrahamum verò ex Patre Teracho & matre ejus uxore prognatum. Adamum ſexto ab Orbe condito die, Abrahamum vero poſt tot ſeculorum decurſum. Illum circa hortum Edenis, hunc verò Ure Chaldæorum.

Miſo-Lit. Benè hactenus , Miſſo-Liturge, ſed ſi placet, perge.

Miſſo-Lit. Equidem dies me deficeret, ſi quæ ad aſſerendam perſonalem horum diſtinctionem afferri poſſent , recenſenda mihi eſſent: Huc enim ſpectant res utriuſque geſtæ, &, ut Philoſophico vocabulo omnia complectar, phœnomena, quæ, quùm in hoc ſint, minimè in illo , perſonas à ſe invicem diſtinctas fuiſſe, quis dubitabit? Sint paucula loco omnium. Adamum legimus nomina impoſuiſſe brutis ad ſe adductis; coſtam illius materiam Deo præbuiſſe ædificandæ mulieris, quam Hevâm vocavit: Ab hac perſuaſum comediſſe de arbo-

arbore vetita; filios genuisse Kainum, Habelem ac Sethum &c. Abrahamus autem Saram habuit uxorem, cujus suasu pellicem assumpsit Hagarem, filium ex ea suscepit Ismaëlem; signum fœderis accepit circumcisionem carnis; ex Sara genuit Isaacum, quem ligatum lignorumque strui impositum, arrepto jam cultro, paratus fuit jugulare ex Dei mandato &c. Hæc igitur, prout non competunt Adamo, & illa prout non congruunt Abrahamo, distinctionem eorum individualem evincunt tàm clarè, ut nemo, nisi mente captus, queat refragari.

Miso-Lit. Utroque pollice probo, quæ hactenus circa propositam quæstionem in medium protulisti; ast cogitare te velim, eandem Christi, quem genuinum esse inter nos constat, & illius, quem in Missa confici & immolari credis, esse rationem. Ut memoriæ succurram, en tabella, in qua utriusque phœnomena ponam sub unum aspectum.

COMPARATIO CHRISTI GENUINI ET MISSATICI.

Verus ille Christus est natus,
Missaticus contrà creatus.
Ille est ex Spiritu Sancto obumbrante,
Hic à Sacrificulo mussitante.
Ille ex Maria Virgine,
Hic ex vino atque pane.
Ille natus ante annos sesqui-mille,
Hic factus est heri ac hodiè.
Ille Bethlehemi in stabulo,
Hic in altari splendido.
Ille mortuus est sub Pontio Pilato,
Hic verò nunquam functus est fato.
Ille in sepulchro quievit ferè per triduum,
Hic ne quidem per trihorium.
Ille vitæ compos sine fine triumphantis,
Hic perit inglorius in stomacho communicantis.
Ille Patri proximus orat pro electis,
Hic in ara positus mutus & elinguis.
Ille ut abiit in cælos, sic ut judex revertetur,
Hic, ut non abiit, sic frustrà expectatur.

Vides,

Vides, Misso-Liturge, ut Adami atque Abrahami, sic & genuini Missaticique vestri, quem imaginamini, Christi diversum esse ortum, quoad caussas ac principia, locum ac tempus, quo manifestatus est in carne; reliqua item phœnomena, quæ tempori isti ità sunt annexa, ut nullatenus competere queant in eum, qui hoc momento est productus; ut passum esse sub Pilato, sepultum, excitatum &c. Aut igitur fatearis mecum oportet, alium à vero Christo esse Missaticum, aut disparem allegare rationem, cur, qui Adamum inter & Abrahamum personaliter distinctivi sunt Characteres, vim discernendi amittant, dum Christo Filio Virginis, & ei, qui in Missa putatur produci, applicantur.

Missa-Lit. Piget ultrà verba miscere cum homine, qui non tantùm imputat Ecclesiæ, quod non credit, perire scilicet Christum in ventriculo sumentis; verùm etiam Ministrum Christi humilem & innocuum contemptibili Sacrificuli nomine traducit, quorum

rum utrumque in tabella tua fecisti. Malo igitur abrumpere discursum, quam vel calumniis vel invidiosis ejusmodi nominibus molestè haberi.

Miso-Lit. Bona verba, quæso, Misso-Liturge; persuasum enim tibi habeas, volo, non aliam ob causam diminutivo huic locum esse datum, nisi ut ingentem, qui inter ortum Christi φερωνύμε ac Missatici vestri intercipitur, hiatum, prout reapse est, exhiberem; quùm ille sit ex Deo Spiritu Sancto, hic ex homine Sacerdote, qui ideò ad istum comparatus non minori jure Sacrificulus appellatur, ac nos omnes Deo collati homunculi sumus & pumiliones. Crimen falsi, quod me, ais, commisisse, longissimè à me abest; non enim Verba Ecclesiæ tuæ promo, dum Christum in Missa assero perire corruptis in ventriculo speciebus, sed sensum expono ex rei indole petitum. Quid enim, nonne Christum statuitis desinere ibi esse, ubi species panis & vini sunt corruptæ? Quorsum autem, si quærimus, abit? Respondetis; Nusquam

abit:

abit. Perit igitur. Sed ut in viam redeamus, quid responsi affers ad propositum dilemma?

Misso-Lit. Mirum te non cogitare de potentia Dei, qua omnia sibi subjicere potest, ultrà quàm nos intelligere valemus. Cur is facere non posset supernaturali virtute, ut, qui olim ex Virgine est natus, idem sit cum eo, qui quotidiè conficitur atque immolatur in Missa?

Miso-Lit. Ast magis mirum, te de sola Dei cogitare potentia, non verò de ipsius voluntate. Verùm, quia ità vis, primò de Potentia Divina loquamur, postremo loco de ipsius voluntate visuri. Censesne igitur, posse Deum aut potuisse sua, qua pollet, potentia efficere, ut Adamus, licet distinctivis ab Abrahamo Characteribus insignitus, sit simul Abrahamus? quem tamen pariter istiusmodi notis instruxit, quæ eum non minus ab Adamo distinguunt. Si potest, eadem certè potentia utitur Deus ad ejusdem suæ potentiæ destructio-

 nem.

nem. Qua enim in re consistit potentia Dei, nisi ut omnia se sistant ad imperium voluntatis? Dixit Deus, esto lux, & erat lux. Quodsi jam Deus supernaturali virtute efficere posset, ut hæc lux, quam produxit potentia sua, non esset lux, nonne potens simul esset, & non potens? ponens lucem sua potentia, & simul non ponens, (quæ impotentia est,) quia eâdem potentiâ tolleretur? Potentissima igitur hæc Dei impotentia esse convincitur, qua id is non posse statuitur, quod vel eandem sui potentiam vel reliquas virtutes pessundat. Si verò non potest, eadem simul ratione non poterit efficere, ut, qui in Missa hodie fit Christus, idem sit cum eo, qui natus est sub Augusto: Esset enim simul idem & non idem. Idem, quia verus ille Christus: Non idem, quia simul ille, qui alius est, juxta nativos illos Characteres, quibus ipsemet constitutus est à Deo verus ille Christus: Quo casu potentia Dei impotentia foret. Potentiæ est ponere, quod vis; impotentiæ, non ponere,

quod

quod vis. Deus igitur ſupernaturali potentia Chriſtum facturus eundem cum Miſſatico, non ponit, quod ponere volebat. Volebat enim verum Chriſtum, ponit autem alium; dum illum, quem ponit, eundem facit cum eo, qui aliûs omnino eſt ortus, reliquorúmque Characterum, quibus perſonæ à ſe invicem diſtinguuntur. Talis igitur Dei potentia potentiſſimæ impotentiæ argueretur. Quod, ut manifeſtius fiat, quæro ex te, Miſſo-Liturge, an, quas ipſemet attuliſti notas, ſeu diſtinctarum perſonarum Characteriſmos, nativa indole cenſeas eſſe diſtinctivos?

Miſſo-Lit. Omninò id ſentio, verùm quod ſuprà jam innui, ſupernaturali Dei Potentia eos indole hac ſua orbari pertendo, qui aliàs juxta naturalem conſtitutionem vi diſtinguendi pollebant.

Miſo-Lit. Contradictionem audio manifeſtam, nimirum notas Characteriſticas perſonarum non eſſe diſtinctivas perſonarum, h. e. non eſſe Characteres. Chriſtus juxta te alium habet

ortum, quoad causas, locum ac tempus, ab eo quem habet in Missa: Manent igitur omnes omninò Characteres distinctivi, qui nativa indole sua verum Christum distinguerent ab eo, qui est in Missa, nisi hi Characteres per supernaturalem Dei potentiam vim distinguendi amisissent. Necesse igitur est hoc saltem concedas, niti demonstrationem allatam vi Characterum personalium nativa, veréque inde inferri, Christum Missaticum esse Pseudo-Christum, si modò illi Characteres indole sua intima non privarentur.

*Misso-Lit.*Ità est, sed quid causam tuam juvare hoc queat, nullus video.

Miso-Lit. Multum certè, si ostendero, Characterismos hos vim suam, qua pollent, distinguendi omninò retinuisse, imò retinere debuisse. Fac enim vim hanc ab iis ablatam, tunc

I. Ablata simul esset vis individuandæ Christi personæ; hæc enim cum vi

vi diſtinctiva tàm arctè eſt connexa, ut minimè queant ſeparari. Characteres igitur Chriſti nonne Chriſto dant eſſe ſuum peculiare?Ità certè eſt, neque tu id negas. Ergo dant eſſe diſtinctum ab omni eo, qui alium habet ortum, alioſque Characteres.

II. Characteres hi retinent vim diſtinguendi ſemetipſos. Nativitas Chriſti non eſt ejus mors, aut mors reſurrectio. Ortus item ex Virgine fœcundata à Spiritu Sancto non eſt ortus ex pane & Sacerdote, niſi ſimul Virginem novo velis miraculo transſubſtantiare in panem, & Spiritum Sanctum in Myſtam Miſſalem. Dum igitur ortus manent diverſi, quoad cauſas (1.) efficientem, illîc Spiritum Sanctum, hic Sacerdotem. (2.) Materialem, illic Sanctam Virginem, hîc vinum ac panem. (3.) Tempus, illic ſub Auguſto, hîc vero hoc momento. (4.) Locum, illic Bethlehemi Judææ, hîc in quavis urbe. Dum, inquam, hi ortus (ut reliquos Characte-

res

res taceam, qui cum ortu indissolubiliter cohærent) manent diversissimi atq; distinctissimi, irrefragabiliter sequitur, vel nullam esse personarum distinctionem in mundo, vel Christum Missaticum à Jesu Nazareno esse distinctum.

III. Nulla reliqua essent γνωρίσματα, quibus Christus distingueretur à falsis *contra Lemm. 6.* & *Axiom.* 13. & 14. Retinent igitur recensiti Christi Characteres vim suam distinguendi naturalem, ideóque alius à vero Christo est Missaticus, h. e. Pseudo-Christus.

Missa-Lit. Nihil habeo, quo nodum solvam, attamen præ stupore non video, quî ille queat esse spurius & alius à vero, quem pleno gutture prædicamus Filium Beatæ Virginis, quæ uterum gessit ex Spiritu Sancto.

Miso-Lit. Atqui & hoc ingeminant Seductores: Hîc est Christus; Hîc est Christus *Matth.* 24: 23. Pone, si placet, quempiam inter eos, prout artes Satanæ sunt variæ, eò absurditatis simul atque impietatis prolabi, ut se venditet

pro

pro Jesu Nazareno, qua quæso, ratione convincere illum velles?

Misso-Lit. Inquirerem in ortum illius, cum ejus circumstantiis, quem si deprehenderem non ex virgine esse, è vestigio vel hac sola ratione commotus audacter pronunciarem Pseudo-Christum.

Miso-Lit. Rem acu tangis: Verùm regerat impostor, non æstimandos esse Christi Characteres juxta naturalem constitutionem, utpote qua per potentiam Dei supernaturalem sint privati, quid repones? Nihil meo judicio habes, quo os ipsi occludas, nisi Characteristicis notis vim distinguendi nativam adhuc superesse mecum admittas.

Misso-Lit. Maximè falleris, Miso-Liturge; tàm inermis non sum, ut non habeam, quô me defendam. In promptu enim mihi esset, allegare verba Servatoris, quo voluntatem suam declaravit, dicendo: *Hoc est corpus meum.* Quod cùm facere nequeat impostor, hoc ipso convincitur fraudis.

Mi-

Miso-Lit. Ut de sensu verborum nihil dicam, quod alibi jam factum, memini, hoc imprimis à te velim doceri, num quis verus ac falsus sit Christus, unicè pendeat ab indifferente Dei voluntate, citra ullum ad Characteres illius respectum?

Misso-Lit. Minimè verò, sed id totum judico pendere à persona, actionibus, reliquisque phœnomenis, quæ suprà de Christo recensuisti.

Miso-Lit. Verum sentis; sed si obtinet, quod hactenus sustines de Potentia Dei supernaturali, quâ ipse pro arbitrio queat auferre insitam illam vim, qua præditæ sunt hæ notæ, distinguendi Christum genuinum à falsis, omninò subruis, quod modò astruis.

Misso-Lit. Id equidem à te cupio ostendi.

Miso-Lit. Ostendam; memor modò sis istius, quod antea concedebas; nimirum Characteres Jesu Christi, nisi orbarentur indole suà distinguendi nativa per Potentiam Dei supernaturalem, eum, qui in Missa est, Christum omnino

no esse distincturos à genuino: Quo casu Missaticus necessariò ψευδώνυμος esset. Atqui ex hypothesi tua Deus pro arbitrio suo uti potest virtute sua supernaturali ad tollendam ab istis Characteribus distinguendi vim, aut ea non uti. Ergo, ut quis verus ac falsus sit Christus, non ex principiis ejus intrinsecis, ortu, actionibus ac passionibus, sed liberrimo Dei placito pendebit. Prout igitur Christus ille ex pane confectus verus esse Christus à vobis asseritur ex libera Dei voluntate, potentiam suam supernaturaliter applicantis, ut quùm aliàs, si notæ Christi in nativo suo statu manerent, esset ψευδώνυμος, deinceps sublata à Characteribus naturali constitutione, verus esse Christus deprehendatur; Sic pariter ab eodem Dei arbitrio & voluntario supernaturalis potentiæ usu dependebit, impostorem hunc, quem in Dialogo induximus, aut alium quemvis transformare in vèrum Messiam, imò Christum in Belialem. Quod cùm maximè abominandum

dum ſit, tanquam blaſphemum, deteſtanda nobis ſimul eſt ejus origo, doctrina nimirum hæc tua, qua cum Eccleſia Romana potentiam Deo affingis abſurdam, atque voluntatem omninò monſtroſam, qua eum qui alterius à Chriſto eſt ortûs, ideóque ψευδώνυμος, eundem faciat cum Chriſto φερωνύμῳ.

COROLLARIUM.

Miſſa igitur eſt Sacrificium ſine ſuo Sacro.

Demonſtratio.

Primò; Sacrum ſive donum in Miſſa offerendum eſt ipſemet Chriſtus *per hypoth.* Atqui is eſt ψευδώνυμος *per Prop. hanc.* Porrò, ut unicus eſt Ordinis Melchiſedeciani Sacerdos, *per Prop.* 9. nimirum ipſemet Chriſtus *Prop.* 16. Ergo & unicus eſt Chriſtus, ideóque novitius ille in Miſſa eſt nihili Meſſias, & per conſequens Miſſa eſt Sacrificium ſine ſuo Sacro & ſine nucleo cortex.

Secun-

Secundò, Christus in Missa offerendus est is, qui conficitur ex pane ac vino virtute verborum. *Hoc est enim corpus meum; per hypothes.* Ast hæc verba non sunt productiva *Lemm.* 22. Nulla igitur panis in corpus Christi fit conversio, ideoque nullus est sub hostia Christus ex pane transubstantiatus, qui ipsis est donum in Missa offerendum. De vino idem est judicium.

PROPOSITIO XXXIV.

Christus Missaticus una cum pane partim est מוקצה ad idololatriam segregatus, partim נעבר idololatricè cultus.

Demonstratio.

Qui in Missa est, Christus, destinatur cultui, quo verus colitur Christus, *juxta praxin Advers.* Atqui ille ipse est Pseudo-Christus *per Prop.* 33. qui dum colitur, ut Christus idololatricè colitur,

per Axiom. 16. Ergo dum Christus Missaticus destinatur cultui, qui Christo debetur, idololatrico cultui destinatur.

Porrò, qui in Missa offerri putatur, Christus est ille ipse, qui & heri & nudiùs tertiùs veri Christi cultu fuit affectus, *ex hypoth.* Ergo idem idololatricè fuit cultus *per Axiom.* 16. *& Prop.* 33.

Similiter panis Missæ destinatur conversioni in corpus Christi postmodum adorandi *per hypoth.* Atqui nulla fit panis conversio *Lemm.* 22, *& Prop.* 20. *Coroll.* 3. Ergo cultus, quo Christus putatur coli, reapse non defertur, nisi pani, qui ideò in Missa idololatrico cultui destinatur.

PROPOSITIO XXXV.

Missa est Sacrificium informe.

Demon-

Demonstratio.

Forma Sacrificii est destructio sacri, & , si res animata est, occisio *per Defin. 7.* Atqui hæc locum non habet in Missa *per hypoth.* Ergo est Sacrificium ἄμορφον.

PROPOSITIO XXXVI.

Nihili est Propitiatio, quæ fingitur in Missa.

Demonstratio.

Propitiatio Sacrificalis est translatio peccati in hostiam ad ipsius Rei absolutionem, *Defin.* 8. Atqui Christus non potest amplius onerari peccatis, *Coroll. Prop.* 17. Ergo nulla in Missa est propitiatio.

SCHOLIUM.

Quæ de Propitiationis ſacrificalis eſſentia attulimus *Defin.* 8, unanimi Hebræorum conſenſu confirmantur. Ex innumeris, quæ afferri poſſent, locis pauca tranſcribam, & præcipuè quidem circa hiſtoriam ligati Iſaaci, in qua explicanda, quia magnam inibi ſpem ponunt Judæi, admodùm diligentes ſeſe præſtant.

Ita Jalkut R. Schimeonis ex Bereſchith Rabbah ad *Gen.* 22. *fol.* 29. וילך אברהם ויקח את האיל ויעלהו לעולה תחת בנו אמר לפניו רבונו של עולם הוי רואה דמו של איל זה כאלו דמו של יצחק בני קרב כהדא דתנינא הרי זו תחרת זו הרי זו חליפי זו הרי זו התמורה : *Et ivit Abraham, acceptúmque arietem obtulit in holocauſtum loco Filii ſui. Dixit coram Domino Mundi: Aſpice ſanguinem arietis hujus, non ſecus ac ſanguinem Iſaaci filii mei: Simile illi, quod diſcimus: Ecce hic loco illius; Ecce hic permutatur cum illo: Ecce hic vicem ſubit.*

En

En fragmentum ſanæ doctrinæ, quam Judæi retinuerunt ex veterum Catechiſmo, de ſubſtituta in peccatoris locum victima; cujus ideò reatum ſubit; quod ut res magni momenti tribus vocabulis emphaticè inculcatur. Propitiationem verò peragi hac ipſa permutatione, docet formula precum: *Aſpice ſanguinem arietis hujus, tanquam ſanguinem Iſaaci* &c. quam paulò poſt clariùs exponit: יהי רצון מלפניך *ſit acceptatio coram te*, quam ſibi procurare ipſiſſimus propitiationis actus eſt.

Eundem in ſenſum R. Bechai in Legem fol. 122: col. 4. ראוי לו שיזרק דמו של
קרבן על גבי המזבח כנגד דמו וכאשר יעשה
כל הענינים האלה יחשוב בלבו שהוא
מתחייב מיתה בחטאו וראוי להענש בארבע
מיתות בית דין שהם סקילה שריפה הרג
וחנק : *Decet ipſum*, de peccatore loquitur, *ſpargere ſanguinem victimæ ſuper altari* כנגד דמו ſive ut in Toledoth Iſaac legitur ad Lev. 1. במקום דם עצמו *loco ſanguinis ſui ipſius. Et quùm peraguntur hæc omnia, dignum eſt, cogitet in corde*

suo, se reum esse mortis propter peccatum suum, & dignum, qui mulctetur quatuor mortis speciebus, quæ in Synedrio exercebantur; nimirum lapidatione, combustione, gladio & strangulatione.

Et ut substitutionem hanc intelligamus omni ratione esse perfectam, omnia hæc mortis genera, quorum reus erat peccator, victimæ irrogari docet non tantùm Bechai, sed & Doctissimus Hebræor. Magister Isaac Karo in Leg. f. 68.
כשהוא לוקח הבהמה ומשליכה ודוחף אותה לארץ הרי זה כענין סקילה וכאלו מודה שהוא חייב סקילה וכששוחט אותה ותכף בשעת שחיטה בצוארה כדי שלא ישהה הרי שעשה הרג וחנק כאלו מודה שהוא חייב הרג וחנק וכשהוא שורפה כאלו מודה שהוא חייב שרפה: *Dum ipse prehensam bestiam projicit ac humi deprimit, ecce illud est instar lapidationis, & non secus, ac si confiteretur, se lapidationis esse reum. Et dum mactat eam, & mactando repentè irruit in collum ejus, idque circumdat citra moram, ecce illud, quod peragit, instar occisionis est, quæ gladio fit, & strangulationis,*

ac si ipse gladii ac strangulationis reum se confiteretur. Et quùm comburit eam, tanquam fateretur, se combustionis esse reum.

Ne autem suorum auctoritate videantur destituti, statim adferunt reliquorum consensum : דומה לזה דרשו רז"ל בענין העקידה ויעלהו לעולה תחת בנו מהו תחת בנו אלא על כל עבודה שהיה עושה אברהם באיל היה מתפלל יהי רצון מלפניך שתהיה עבודה זו עשויה בבני כאלו הוא שחוט כאלו· דמו זרוק כאלו הוא נשרף ונעשה דשן : *Ad eundem modum exposuerunt Magistri nostri p. m. in negotio ligationis Isaaci illud Gen. 22: 14.* Et obtulit eum in holocaustum loco filii sui. *Quid hoc, loco filii sui, nisi quòd Abrahamus super omni opere, quod circa arietem fecit, oraverit? Sit acceptatio coram te, ut opus hoc sit factum in Filio meo, ac si ipse jugulatus, ac si sanguis ipsius sparsus, ac si ipse combustus & in cinerem redactus esset.* Quæ quoad preces & fundamentum earum, scilicet permutationem victimæ cum Reo gemella sunt loco præcedenti.

Præterea modum propitiationis adhuc clariùs exponunt in verbis, quæ immediatè ſequuntur : כיון שהחוטא ראוי שיהיה דמו נשפך כדם הקרבן ושיהיה גופו נשרף כגוף הקרבן והקב״ה לוקח קרבנו ממנו תמורתו וכופרו הנה זה חסד גמור אשר גמלהו הש״י ברחמיו וכרוב חסדיו לקח נפש הבהמה תחת נפשו ושיתכפר בה וטעם זה נכון ומתישב על הלב : *Quandoquidem dignus eſt peccator, ut effundatur ſanguis ſuus, ſicut victimæ ſanguis; & ut corpus ſuum cremetur, quemadmodum victimæ corpus; accipit Sanctus ille Benedictus Sacrificium illius ab ipſo, ut permutationem ac lytrum. Ecce hæc gratia conſummata eſt, qua illum beat Deus benedictus, pro miſericordia ſua, & juxta amplitudinem gratiæ ſuæ accipit animam pecudis loco animæ ipſius, ut propitietur per eam. Et ſenſus hic eſt idoneus & accommodatus ad cor.*

Non abludit Celeberrimus in Legem Commentator R. Iſaak ben Aramah in libro, quem Akedath Jizchak inſcribit *fol.* 55, *Col.* 3. *ſub fin.* ויבא זה תחתיו להשלים

להשליכם חובתו והידה הוא ותמורתו :

Et venit ille aries *loco illius* Iſaaci *ad conſummandum debitum ſuum* h. e. ut Abrahamus plenè ſatisfaceret mandato Dei de offerendo filio Iſaaco ; quo fine arietem obtulit loco filii, ut in ipſo textu habetur, quem Deus ipſi, ut filii vicarium ſubminiſtravit, notante id etiam Aramide, dum ait : *Et hic* aries *fuit ille ipſe* Iſaacus, utpote in cujus locum erat ſuffectus, *& permutatio illius*: phraſi decurtata ex *Lev.* 27:10.

Subſcribunt etiam profundiores Judæorum Kabbaliſtæ, qui aliàs de litera parùm ſoliciti, venantur רזי דאוריתא *Secreta Legis*. Occurrit locus illuſtris in libro Sohar, *Sect. Pinehas fol.* 98. *Col* 1. quem dignum arbitror, qui huc referatur. Annotat autem ad verba Legis את קרבני hoc modo : דא קרבן בשרא בגין דכל קרבנין לא מתקרבין אלא מבשרא בשרא על בשרא והכי שמענא אי בר נש חטא בהמה מה חטאת דכתיב אדם כי יקריב מכם קרבן ליי׳׳ וגו׳ אמאי אלא קבה׳ עבד רוח בני נשא ורוח בהמה וגו׳ :

N 5 *Hæc*

Haec est victima carnis, propterea quod nullæ victimæ offerantur, nisi ex carne (Reliqua enim dona non tam Sacrificia, quàm Sacrificiorum sunt appendices) *caro pro carne.*, *Et hoc quoque auditu percepi: Si filius hominis peccavit, bestia quid peccavit? ut scriptum est: Homo, quum sistet ex vobis victimam Jehovæ, ex pecude &c. sistetis eam Lev.* 1: 2. *Quare, nisi quòd Sanctus Benedictus fecit spiritum filiorum hominis & spiritum pecudis?* Observa hîc rationem, quam reddit suffectæ peccatori bestiæ innocuæ, nimirum, Jus & Dominium Dei in omnia, utpote qui & hominem & bestiam creavit.

Neque omninò ineptum est, quod statim subnectitur, nimirum voluisse Deum hôc modô ex ipso malo mali remedium parare. Malum erat, lascivire hominem ex carnium usu nimis delicato, quas Creator omnium pro liberalitate sua non minùs deinceps concessit, quàm anteà arborum olerumque usum. Ut igitur homo inde luxurians præceps ruit in varia peccata, sic Sapientiæ Divinæ non defuit ratio carnem humanam

manam ex carnium abuſu corruptam eadem carne in integrum reſtituendi. Propiùs autem ad rem facit, quod caro noſtra cum ea, quæ pecudum eſt, eò quod cibus noſter ſit, cenſeatur eſſe veluti una, ut propterea conveniens fuerit Deo eam in noſtræ carnis locum ſurrogare.

Sed audiamus ipſum potius Sohar ità diſſerentem : אמר הקב״ה מכאן ולהלאה הואיל וגופא אשתאיב מההוא יצר הרע יתפנג גופא כמה דאתחזי ליה. יכול בשרא כירק עשב נתתי לכם את כל כר אכיל בשרא מההוא בשרא אתענג בשרא דיליה ואתערב דא בדא ואתרבי גופא מניה ומההוא פנג גופא חטא בכמה חטאין אמר קב״ה כפרא על גופא בשרא בשרא דאכיל בשרא עביר דמא לגופא בכ״כ דמא דאשתאר מההוא בשרא לכר אתעתד לכפרא על דמא דאתעבר מההוא בשרא דילה דכתיב כי הדם הוא בנפש יכפר : *Dixit Deus S. Benedictus : Abhinc* à tempore Noachi, quo omnis caro corruperat viã ſuam, *& ultrà, quandoquidem corpus inundatum eſt ab hoc figmento malo, delicatè nutrietur corpus, ut convenit ipſi, carnis eſu* ; Ut olus viride dedi

dedi vobis omnia. *Postquam comedit caro* h. e. homo *de hac carne, voluptate perfusa est caro ipsius, & commixta est hæc cum illa, & corpus ex ea incrementum cepit. Ab hoc autem delicato cibo corpus ad quàm plurima peccata fuit seductum. Dixit Sanctus Benedictus. Propitiatio pro corpore sit caro: Caro, quam comedit caro, in corporis sanguinem est conversa; Propterea sanguis, qui de ea carne reliquus est foris, præparatus est in propitiationem pro sanguine facto ex ea carne, ut scriptum est;* Sanguis pro anima expiabit. *Lev.* 17:11.

Lucem fœneratur hic locus obscuro vocabulo פנג, quod est è mercimoniis, quæ Tyri in commercio erant *Ezek.* 27: *v.* 17. Prout id est ἅπαξ λεγόμενον, sic variè ab interpretibus tortum. Quidam vertunt *Phœniciam*, & cum præcedente מנית conjungunt, sed invito accentu ministro, qui id cum sequenti voce conjungit. Alii verò *balsamum*: Ast sic ταυτολογία foret, quùm צרי, quod balsamum notat, in eodem versu reperiatur. Malo id igitur explicare ex Genio Linguæ Aramææ, quæ Tyriis in usu erat:

erat: Sic enim Syrus interpres vocem συνευωχέμθυοι *convivantes*, quod est 2. *Pet.* 2: 13. מתפנקים vertit; cujus Radix, permutatis tantùm inter se, ut solent, ejusdem Organi literis ק & ג coincidit cum Rad. פנג. Confer *Luc.* 7: *v.* 25, ubi τρυφὴ *luxus* & פונקא sibi respondent; Qua in significatione Chaldæis frequentissimum est, *vid. Lex. Talm. Buxt.* Semel autem, ni fallor, occurrit in codice Hebræo, nimirum *Proverb* 29:21. In allegato loco Sohar parallela sunt התפנג & התענג *in deliciis vivere.* Et פנג requirente id contextu, extra controversiam notat cibum delicatum, qualis præ olere est caro. Quæ interpretatio loco Ezechielis tàm apta & concinna est, ut nulla major esse possit; cohæret enim פנג immediatè cum sequenti דבש *mel* & per copulam ו & per accentum. Melli autem, quod & ipsummet in deliciis est, quid magis gemellum esse potest, quàm ejusdem suavitatis esculentum. Sed hæc אגב ארחא.

Simi-

Similiter Jalkut Rubenis, non quem suprà citavimus Simeonis, in Legem fol. 118. ex Sepher פליאה sequentia affert: מכון לשבתך פעלת ה' מלמר שבה"ה שלמטה מכוין נגר בהמ"ק שלמעלה ובבירת המקרש שלמעלה מיכאל כה"ג ונקרא כה"ג שיניקתו מן הגרולה הוא החסר והוא עומר ומקריב נפשותיהן של צריקים ר"ל הקרבנות שנקרבים בבה"ה שלמטה הם נפשותיהן של בהמות הנקרבים הם הנקראים נפשותיהן של צריקים כי קבלו עונשם: *Locum habitationis suæ fecisti, Jehovah: docens, Domum Sanctuarii infernam collimare versus Domum Sanctuarii supernam, in qua Michaël est Sacerdos Magnus. Vocatur autem Sacerdos Magnus, eo quod suctus illius sit ex Magnitudine, quæ est Gratia. Et is stat offerens animas justorum: Volo dicere, victimas, quæ in Domo Sanctuarii inferna offeruntur, esse pecudum animas, quæ oblatæ vocantur animæ justorum, quia recipiunt pœnam illorum.*

Propter hanc victimæ pro fidelibus substitutionem fit, ut pœnæ pecudibus irro-

irrogatæ, ipsorum fidelium esse censeantur, ut pulchrè declarant ea, quæ statim sequuntur: אם הריגה יהרגו ואם חנק כחנקו וגו׳: Si victimæ afficiuntur multâ *occisionis, occiduntur* & Justi: *Si strangulationis*, *strangulantur* &c. *& condonantur iniquitates eorum.*

Hanc propitiationis ideam Judæis communissimam esse atque universalem, colligere est ex eo, quod ea non tantùm inveniatur in scriptis Doctorum, sed etiam in vulgarem formulam abierit, quâ, qui animum gerebat ità affectum, ut malum alteri obventurum in se suscipere esset paratus, ajebat: אני כפרתך: *Ego sum propitiatio tua*: Cujus formulæ sensum nobis exponit R. Nathan Justus in Aruch ex Codice Jebammoth: כל מקום שהוא אומר הריני כפרת זהו פירושו הריני במקומו לסבול עוונותיו כלומר שעוונותיו אני מקבל עלי להתכפר וגו׳: *Quocunque loco dicitur*; Ecce me in propitiationem; *hæc ejus interpretatio est. Ecce me in ejus loco, ut feram iniquitates illius, ac si diceret: Iniquitates ejus ego recipio in me, ut ipse propitietur* h. e. liber evadat.

Imò

Imò non profana tantùm, ſed & Eccleſiaſtica hæc eſt Judæorum praxis circa ſuum תרנגול ותרנגלת, quæ offerunt in die Kippurim loco hirci ἀποπομπαίου, dicentes: זה חליפתי זה תמורתי זה כפרתי זה תרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים ולשלום: *Hic vice mei, hîc permutatio mei, hic propitiatio mea, hic gallus ibit ad mortem, & ego ad vitam beatam ac pacem.* Quæ eadem formula eſt, qua Judæi tradunt uſum olim Abrahamum, dum filii loco arietem offerebat, nec minùs veteres Hebræos, dum manibus victimæ impoſitis peccata confitebantur. De quo ritu ità Maimonides *Maaſe Korbanoth Cap.* 3: *ſub fin.* כיצד מתודה אומר חטאתי עויתי פשעתי כך וכך וחזרתי בתשובה לפניך וזו כפרתי הי״ה: *Quomodo confitetur? Dicit: Peccavi, iniquè egi ac feci, ſic & ſic,* (ubi peccati genus exprimebatur) *& redii ad pænitentiam coram te; atque hac eſt propitiatio mea.* Unde patet ex unanimi Hebræorum conſenſu ac praxi, eam, quæ in Sacrificiis obtinebat propitiationem

nem non aliter esse peractam, quàm substitutione victimæ in locum peccatoris, ità ut illa pœnam sustineret, quæ huic debebatur: Quod, quùm in Missa non obtineat, nihil superest, nisi propitiationis vox, quæ omni realitate est cassa.

COROLLARIUM I.

In statu rectitudinis Sacrificiis non erat locus.

Demonstratio.

Victima surrogatur in locum offerentis & quod in illa peragitur, peragi in ipso offerente debet censeri *per Schol. præc.* Atqui ea est destruenda & quidem igni, ac, si res viva est, primò jugulanda *per Defin. 7.* Contrà autem nihil horum, ad minimum destructio per ignem, in homine locum habebat ante peccatum. Ergo in eo statu nullus Sacrificiis erat locus.

SCHOLIUM.

Idem hîc mecum ſentit Bechai in Legem fol. 123, hac ratione permotus, quòd Sacrificium ſit propter propitiationem, quæ omninò peccatum ſupponit 5. Verba ipſius ſunt: הקרבן לכפר בו על כל עוונותינו ולולי המסירת והמדיח שהוא יצר הרע לא היה אדם חוטא ולא היה צריך לקרבן: *Sacrificium inſtitutum eſt ad expiandas eo omnes iniquitates noſtras. Et niſi ſeductor & impulſor, qui eſt, figmentum malum, fuiſſet, non peccaſſet Adam, neque ullo omninò Sacrificio opus habuiſſet.*

COROLLARIUM II.

Chriſtus verè ſatisfecit non bono tantum, ſed & loco noſtro.

Demon-

Demonstratio.

Sacrificia Veteris Testamenti surrogabantur in offerentium vicem, & hæc umbratilis surrogatio erat earum perfectio, qua suo modo propitiabant, *per Schol. Prop. hujus. & Vind. Prop.* 17. Simul etiam erant typi Sacrificii Christi, qui antitypus eorum est omni ratione perfectus *Lemm.* 2. Porrò, cùm typus perfectissimus contineat omnem perfectionem sui typi *Axiom.* 9. consequens est, Christum esse surrogatum in locum eorum, pro quibus se immolavit. Qua de re legatur Doctissimus Anglus Outramus in libro de Sacrificiis.

SCHOLIUM.

Demiranda hîc est cœcitas Judæorum, qui, cum multum fiduciæ collocent in Sacrificio Isaaci, licet non consummato, aversantur Sacrificium Messiæ ad mortem usque perductum, propitiationem eo procuratam ludibrio habentes. Ita Jalkut

Simeonis ex Bereſchith Rabbah Abrahamum facit hoc modo precantem: יהי רצון מלפניך בשעה שיהיו בניו של יצחק באין לידי עבירות תהיה נזכר להם העבודה הזות ותמלא עליהם רחמים: *Eſto acceptatio coram te. Eo tempore, quo filii Iſaaci incident in tranſgreſſiones, in bonum ipſis memoretur hic cultus, & tu miſericordiam eis largiter exhibeas.*

COROLLARIUM III.

Juſtificatio peccatoris nititur mutua peccatorum & juſtitiæ permutatione, ità ut illa Chriſto, hæc fidelibus imputetur.

Demonſtratio.

Juſtificatio peccatoris nixa eſt propitiatione illius apud Deum, *ut per ſe patet*, & quidem procurata Sacrificio Chriſti *ex conceſſione Adv.* utpotè unicè propitiatorio *per Propoſ.* 17. Atqui inibi eſt permutatio, ut Chriſtus locum ſubeat pec-

peccatoris, *per Coroll. præced.* Ergo peccata noſtra Chriſto, &, vicè verſa, obedientia ipſius, quia noſtro loco præſtita *per idem Coroll.* nobis imputatur.

Porrò, qui in Veteri Teſtamento victimæ imprecabatur peccatum, nanciſcebatur veniam ejus *per Defin.* 8. Quùm verò Chriſtus eorum omnium antitypus ſit omni modo perfectus *Lemm.* 2. Ergo cujus peccata Chriſto ſunt imputata, conſequitur remiſſionem illorum, ideoque & jus ad vitam; & per conſequens Juſtificatio peccatoris mutua peccati noſtri atque juſtitiæ Chriſti imputatione fundatur.

SCHOLIUM.

Juſtificationem hîc ſumo ſenſu forenſi, quatenus accuſationi & condemnationi opponitur, *Rom.* 8: 33, hoc eſt, pro abſolutione à reatu & collatione juris ad vitam. Comprehendat ea alicubi & Sanctificationem, necne, nihil refert, neque opus eſt, ut hac de re diſceptem.

PROPOSITIO XXXVII.

Sacrificium Missæ alii offertur, præterquam Jehovæ.

Demonstratio.

Celebratur enim in honorem Sanctorum *juxta praxin Eccl. Rom. & Concil. Trid. Sess. 22. Can. 5. Si quis dixerit imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Vindiciæ.

Ast aliud est, inquit Concilium, immolare Sanctis, & aliud rursus, immolare in honorem Sanctorum: Posterius est, quod facimus in Missa, minimè verò prius. Audiamus ejus verba, *loco citato Cap. 3. Et quamvis in honorem*

&

& memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium Petre ac Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

Verùm inane effugium, quùm idem sit offerre alicui Sacrificium & in honorem illius. Sit exempli gratiâ locus *Exod.* 22: 19, suprà allegatus: *Qui Sacrificium offert, præterquam Jehovæ, excindetur.* Quid hîc est sacrificare Deo? Nonne offerre Sacrificium in honorem illius? Unde Psaltes ait: *Qui sacrificat confessionem seu laudem, honore afficit me Ps.* 50:23. Et Maimonides de eo, qui Sacrificium שלמים offert; אומר דברי שבח *dicit verba laudis*; *Maase Korban, Cap.* 3. ut constet de Sacrificii scopo, nimirum gloria Dei, quò omnia collimare debent 1 *Cor.* 10:31. Qualis igitur hujus locutionis est sensus, dum de Deo usurpatur, talis

etiam, cum aliàs oppoſitio eſſet nulla, in oppoſito membro eſſe debet. Sacrificare igitur alii, notat offerre in honorem illius. Quod cùm manifeſtò faciant Miſſatores circa ſuos Sanctos, hoc ipſo illis ſacrificare convincuntur, & per conſequens alii, præterquàm Deo.

PROPOSITIO XXXVIII.

Miſſa in loco illicito, imo idolæo celebratur.

Demonſtratio.

Chriſtus non intrat ſacrificandi ergò in Sanctuarium terrenum *Lemm.3.* Atqui Miſſa celebratur in ejuſmodi Sanctuario & *per hypoth.* Chriſtum in eo ſiſtit præſentem, ut Sacerdotem pariter ac victimam. Ergo in loco illicito celebratur.

Deinde, imagines, quæ vel ipſæ coluntur, vel per eas ſive Deus, ſive Sancti, idola ſunt *per Lemm. 9.* Templum igitur,

igitur, in quo imagines coluntur, est idolæum. Atqui Missa celebratur in istiusmodi templo, imò altari, in quo collocatæ imagines, etiam inter Missandum, coluntur, *ex praxi Rom.* Ergo in idolæo celebratur.

Vindiciæ.

Hæc uno se halitu facilè difflare nostri opinantur εἰκονολάτραι, dum idola docent esse eas tantùm imagines, quæ vel ipsæ habentur pro Diis, vel falsis Numinibus sunt dicatæ, minimè verò has, quibus colitur is, qui verus est Deus, & Sancti ipsius: Mogunt. Ubel ärger p. 113.

Sed audiamus ipsum Mosen, cujus manu Lex data est, qui ità ad Israëlem: *Quamobrem cavebitis animabus vestris valdè, nam non animadvertistis ullam similitudinem, quo die allocutus est Jehova vos in Choreb è medio ignis, ut non corrumpatis vos & faciatis vobis sculptile similitudinem ullius simulacri, formam*

maris aut fœminæ. Deut. 4: 15, 16. Vides ex ratione præcepti, vetari hîc & eas imagines, quæ Deo ſunt factæ. Prohibitio eſt; Ne faciatis imagines aut ſculptile. Ratio eſt; quia non vidiſtis ullam ſimilitudinem, neque ipſius etiam Dei. Fac autem, in prohibitione non intelligi ſimul imaginem Deo deſtinatam, ratio eatenus inutilis eſſet & nulla. Imagines igitur & Deo conſecratæ ſunt idola, quorum fabricatores, multò magis cultores, ut Moſes ait fidelis Dei ſervus, ſe corrumpunt, atque animam exitii periculo exponunt. Templa igitur, in quibus collocatæ hæ imagines coluntur, omninò ſunt idolæa.

COROLLARIUM.

Hinc rurſus conficitur, Sacerdotes Romanos eſſe ineptos ad aram. *Sunt enim adoratores idolorum per Vindicias proximè præced.*

SCHO-

SCHOLIUM.

Jam ſuprà *Lemm.* 21. attuli teſtimonium ex Ægyptio Hebræorum Magiſtro admodum luculentum, de Gentilium religione, utpotè quorum mos erat offerre in ſacrariis, in quibus erectæ imagines colebantur; cujus rei gratia, ne Iſraël eidem idololatriæ implicaretur, Deus cultũ Sacrificiorum adſtrinxit ad templum Hieroſolymitanum. Quàm abominandi autem ſint Idolorum Cultores, ut nunquam Sacerdotali munere poſſint defungi, idem exponit his verbis: כל כהן שעבר עכו״ם בין במזיד בין בשגג אע״פ שחזר בתשובה גמורה הרי זה לא ישמש במקדש לעולם שנ״א לא יגשו אלי לכהן לי אחד העבר אותה בשירות כגון שנעשה כומר לעכו״ם או המשתחוה לה או המורה בה וקבלה עליו באלוה הרי זה פסול לעולם: *Quilibet Sacerdos, qui exercuit idololatriam ſive voluntariè ſive per errorem, etiamſi reverſus fuerit ad pœnitentiam perfectam, ecce is ſervitium non præſtabit in Sanctuario in eter-*

æternum, ut dictum est: Non appropinquabunt mihi ad Sacerdotio fungendum. *Aliquis qui idolorum cultor fuit ex officio, ita ut factus sit popa idolorum, aut qui prosternit sese illis, aut confitetur ea, aut recipit ea pro Deo, ecce hic reprobatur à Sacerdotii functione in æternum.* Biath Hammikdasch. Cap. 9: 13.

PROPOSITIO XXXIX.

Actus sacrificandi nimis serò peragitur in Missa.

Demonstratio.

Mors Christi, quoad tempus, itâ fuit definita, ut extra id eam obire fas non esset *Lemm.* 4. Atqui ea est Sacrificium, & quidem unicum, extra quod ipse offerri non potest, neque per se neque per alium *per Prop.* 17, 19, *& Vindic. Propos.* 26. Ergo mortis tempus legitimum tantùm est, quo Sacrificium illius debet

bet offerri, & propterea Missa, ut Sacrificium audit, nimis serò celebratur.

SCHOLIUM.

Cave hanc Propositionem confundas cum Propositione 32, licet utraque eadem ratione demonstretur: Hæc enim de actu oblationis, illa de ipso dono offerendo agit: Illa vitii arguit victimam ob nimiam ætatem, hæc ipsam oblationem culpat, ut ultra tempus dilatam.

PROPOSITIO XL.

Missa est Sacrificium nihili.

Demonstratio.

I. Donum in Missa est nullum: Est enim Sacrificiũ sine Sacro *Coroll. Prop.*33. Ast Sacrificii, quod offerri putatur, nullitas arguit ipsius Sacrificii nullitatem *per Axiom.* 8.

II. De-

II. Destructio nulla: Cùm enim Sacrificium importet destructionem rei offerendæ *per Def.* 7, Christus autem, quem offerre prætendunt, destrui ampliùs non possit *per Coroll. Prop.* 17. consequens est, Missam esse Sacrificium Chymæricum.

III. Propitiatio nulla: Hæc enim est actus, quo pœna infligitur hostiæ, ut qui eam affert, liber evadat *per Def.* 8. Ast victima in Missa immolanda est Christus *per hypoth.* qui peccatis denuò non potest onerari *per Coroll. Prop.* 17. Ergo nulla in Missa est propitiatio, & ob hoc est Sacrificium nihili.

PROPOSITIO XLI.

Missa est Sacrificium ex omni parte vitiosum.

Demonstratio.

I. Ratione Causæ seu Sacerdotis.

A. Sacerdotes Missatici non sunt Ordinis Melchisedeciani *Prop.* 26. Missa autem

tem

tem est Sacrificium à Sacerdote Melchisedeciano offerendum *ex hypoth.* Ergò illegitimi sunt Sacerdotes, ac propterea ipsum Sacrificium est illegitimum per *Axiom.* 2.

B. Sacerdotes Missatici sunt בעלי מום labe notati *per Prop.* 28. Ergo & Sacrificium, quod ab ipsis immolatur *per Axiom.* 2. *& Lemm.* 14.

II. Materiæ seu doni offerendi.

Primò enim est Korban *Kilajim* seu victima heterogenea *per Prop.* 29, ideoq; *per Lemm.* 15. vitiosa.

Secundò; est Korban *Nidmeh*, seu victima habens speciem alienam, nimirùm, Christus sub specie panis & vini *per Prop.* 30, & iccircò rejicula apud aram *per Lemm.* 16.

Tertiò; est hostia, quæ nondum attigit legitimam ætatem *Prop.* 31, ideoque reprobanda *Lemm.* 17.

Quartò, excedit legitimam ætatem à Deo definitam *Prop.* 32, & per consequens vitiosa *Lemm.* 18. potissimum quùm sit

ſit קדש קדשים Sanctum Sanctorum, das Hohe Ampt und das allerheiligste Opffer / in quibus victimis & horæ numerabantur; Quæ vel horulâ legitimâ ætate erat major vel minor, rejiciebatur ab ara *Schol. Prop.* 32.

Quintò; eſt Sacrum *Mukzeh*, idololatriæ deſtinatum; imò *Neebhadh*, idololatricè jam cultum *per Prop.* 34. ac propterea rejectaneum apud altare *per Lemm.* 19.

Sextò, falſus eſt Chriſtus, qui offerri cenſetur in Miſſa, *per Prop.* 33. Ergò & falſum Sacrificium *per Axiom.* 2.

III. Formæ, ſeu deſtructionis.

Sacrificium eſt Sacrum, quod deſtruitur, & ſi vivum eſt, mactatur *per Def.* 7. Atqui nulla ſacri in Miſſa offerendi eſt deſtructio aut mactatio, quùm Chriſtus pati denuò non poſſit *per Coroll. Prop.* 17. Ergò eſt Sacrificium informe *Prop.* 35, & per conſequens vitioſum.

IV. Fi-

IV. *Finis, seu propitiationis.*

Propitiatio Missatica est ludicra & inanis, non enim irrogat victimæ pœnam *ex hypoth. & rei veritate Coroll. Prop.* 17. & *Prop.* 36. *cum Schol. ejus.* Ergò & ipsum Sacrificium est ludicrum & inane.

V. *Objecti, h. e. Sanctorum loco Dei.*

Sacrificium Missæ offertur in honorem Sanctorum *per prax. Rom.* Ergò alii, præterquàm Deo *per Prop.* 37. Unde *per Lemm.* 20, est crimen execrandum.

VI. *Loci* 1. *terreni.* 2. *idolis referti.*

Missa celebratur in Sanctuario terreno, in quod Christus non intrat sacrificatum *Lemm* 3. Imò in idolæo *per Prop.* 38. Ergò Sacrificium illius est vitiosum *per Lemm.* 21.

VII. *Temporis non destinati.*

Christo moriendum fuit tempore definito *per Lemm.* 4. sed quùm præ-

 ter

ter mortem nullum aliud ſit Sacrificium illius *Prop.* 17. Ergò coincidit mortis & Sacrificii tempus, conſequenter Sacrificium Miſſæ offertur ultra tempus deſtinatum, ac proinde *per Lemm.* 23, eſt labe notatum.

Aliter.

Primò, ex proprietate Sacrificii propitiatorii à Sacerdote Melchiſedeciano oblati. Unicum id eſt *Prop.* 13, tàm reſpectu oblationis, quàm doni oblati: Conſequens igitur eſt, vel Chriſti Sacrificium non eſſe Sacerdotis Melchiſedeciani *contra Prop.* 17, vel Miſſam, quæ eſt repetitio iſtius Sacrificii *Defin.* 1. *&* 2, eſſe Sacrificium ψευδωνύμως tale.

Secundò, ex proprietatibus Sacrificii Chriſti. Perfectiſſimum id eſt. *Prop.* 17. Ergò id præſtitit perfectiſſimè, quod ad propitiandum Deum ab omnibus omninò Sacrificiis poteſt expectari. Si autem perfectè propitiatus eſt Deus, per Miſſam non poteſt propitiari: Numen enim iratum convenit propitiare; pro-

propitiatum autem & quidem perfectè jam propitiatum velle propitiare, nugatorium est *Axiom.3.* Missa igitur Sacrificium propitiatorium non nisi falsò nominatur. Præterea, unicum est Christi Sacrificium *Prop.17.* Ergo post illud semel oblatũ, nec ipse offert aliud per se, nec per vicarium ministrum, quem etiam non habet *Vind. Prop.26. & Lemm.3.*

Tertiò, ex antiquatione Ordinis Aharonici. Expiravit is Ordo per mortem Christi *Prop.18.* Missa autem, quùm analogicè aliò referri non possit, quàm ad hunc Ordinem *Coroll. Prop.27.* ipsa quoque cum evanescente suo Ordine evanescit. Non igitur φερώνυμον est Sacrificium.

PROPOSITIO XLII.

Munus purum juxta vaticinium Malach. 1:11, offerendum à Gentibus in omni loco, non est Missæ Sacrificium, sed Cultus Christianorum, qui Deo præstatur citra locorum discrimen.

Demonstratio.

Patet *prius*. I. Quia Missa est Sacrificium nihili *Prop.* 40. cùm ratione panis, cujus substantia periit *ex hypoth.* tùm ratione Christi Missatici, qui pariter nihili est *Prop.* 33.

II. Missæ Sacrificium est impurum, partim quia & panis, &, qui ex pane est, Christus idololatriæ destinantur & idololatricè coluntur *Prop.* 34; partim, quia offertur in idolæo *Prop.* 38, & alii, præterquam Deo *Prop.* 37.

Patet *posterius*. Quùm enim Christus sit solus & unicus in Nov. Testam. Sacerdos, *Prop.* 19, qui, ut Sacerdotio fungatur, non intrat in Sanctuarium terrenum neque per se, neque per ministros *Lemm.* 3. & *Vindic. Prop.* 26, imò cujus Sacerdotio evanescit Sacerdotium aliud quodcunq; propriè dictum *Prop.* 18, consequens est, hoc quòd à Malachia prædictum est, Sacrificium allegoricè esse intelligendum.

Vin-

Vindiciæ.

Fluit hoc præterea ex omnibus iis, quæ ab initio hujus libelli hucusque sunt allata, & in *Propp.* 40, 41. demonstrationibus in compendium redacta. Non suadent hæ rationes allegoricum sensum, sed, ut eum adoptemus, omninò cogunt: Quem etiam verba Prophetiæ admittunt non invita, quùm tralatitium sit in Scripturis veritatem involvere typis, atque ritibus antiquis, quibus ea fuit præfigurata, potissimùm quùm Prophetæ sub Lege viverent, & ad populum concionarentur, qui veterem cultum exercebat, fatente Bellarmino *Lib.* 1. *de Miss.* *Cap.* 10.

Sed audiamus, quæ is affert ex hoc vaticinio pro Sacrificio Missæ, loco citato. *Catholici*, inquit, *his argumentis probant, verba hujus Prophetæ intelligenda esse de Sacrificiis propriè dictis. Primò, ex voce, qua utitur Propheta, nam vocat absolutè* מנחה , *ubi duo consideranda sunt. Primò, Scripturam non solere nomen Sacrificii*

ficii absolutè ponere, cum loquitur de Sacrificio impropriè dicto, sed cum adjuncto aliquo, ut Sacrificium laudis, Sacrificium justitiæ &c. hoc autem loco absolutè ponitur oblatio munda. Deinde ipsa vox Hebraica מנחה *significat propriè certum genus Sacrificii externi, quod ex simila, oleo & thure conficiebatur, ut patet Levit. 2: & 6: & alibi passim.*

Ad *prius* respondeo (1.) perinde esse, sive allegoria demonstretur ex adjuncto, sive aliunde. (2.) εὐποιίαν καὶ κοινωνίαν absolutè vocari θυσίας *Hebr.* 13:16.

Ad *posterius* dico: Aut Bellarminus retinet propriam significationem vocis מנחה, aut non. Si non, tunc (1.) argumentum ipsius declaratur esse nullum, ex proprietate vocabuli petitum, & (2.) nobis idem jus permittat recedendi à proprio significatu hujus vocis. Si verò retinet, Missam exinde faciet Sacrificium ex simila, oleo & thure confectum, contra quod ipsemet solenniter protestatur: *Non enim*, inquit, *tàm crassè intelligimus Prophetam, ut existimemus oportere nunc offerri Minchah*

pro-

propriè dictum, id est similam conspersam oleo, & thuri admistam. Non invenit hîc Bellarminus, ubi pedem tutò figat. Quæ præterea affert contra Calvinum & Kemnitium, in Responsione ad tertium argumentum diluemus.

Secundum argumentum, pergit, *sumitur ex illa voce*, Munda : *Opponit enim Propheta oblationem Ecclesiæ mundam oblationibus immundis Sacerdotum Judaeorum. Quod argumentum duobus modis concludi potest. Primò, ex opinione adversariorum, opera bona, quæ à nobis procedunt, omnia sunt immunda, cum sint peccata & quidem mortalia natura sua. Per oblationem igitur, quam Spiritus Sanctus mundam appellat, non debent intelligi opera nostra, id est Sacrificia impropriè dicta, sed Sacrificium à Deo institutum, quod ab ipso Deo, non à nobis vim suam habet.*

Resp. (1.) Opera bona fidelium Spiritum S. agnoscere Auctorem non secus, ac Missatores oblationem Missaticam referunt ad Christum, tanquam Principem Sacerdotem, ideoq; hactenus nulla diversitas. (2.) Eadē opera bona, prout à

Spiritu Dei ſunt profecta, item ab homine regenito, quatenus à Spiritu eſt ſanctificatus, & ipſemet Spiritus appellatur *Joh.* 3: 6. *Rom.* 8: 16, omninò eſſe munda. Quod verò ex carne eſt malum, non ipſis fidelibus, (utpote qui, qua tales, novæ ſunt in Christo creaturæ, & veluti perſonæ à ſemetipſis, quatenus adhuc carnem habent, diſtinctæ) ſed inhabitanti peccato imputatur, juxta illud Pauli: *Rom.* 7: 17, 20. *Quod ſi id facio ego, quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat.* Tantùm igitur mutati à ſemetipſis adhuc merè carnalibus fideles, quatenus in Chriſto vivunt, & Chriſtus in ipſis *Gal.* 2: 20, & Spiritu ejus animati belligerant adverſus carnem, tanquam hoſtem, ideoque veluti perſonam à ſe diſtinctam, ſunt myſtici illi Sacerdotes, qui offerunt Deo *munus purum*, cultum & *amorem ex puro corde & conſcientia bona, & fide minimè ſimulata.* 1. *Tim.* 1: 5.

Unde perſpicuum eſt, quid reſpondendum ad id, quod Bellarminus ſecundo loco affert; nimirum, *Prophetam oppo-*

nere

nere Sacrificium ità mundum ex ſe & generaliter, ut non poſſit malitia miniſtrorum fieri immundum, ei Sacrificio, quod facile pollui poteſt, & quod non eſt ſemper mundum. Et paulò poſt ſubſumit: *At Sacrificia Spiritualia, cum ab opere noſtro pendeant, obnoxia ſunt pollutioni, & reipſa ſæpè polluuntur, non minùs nunc à Chriſtianis, quàm olim polluerentur à Judæis.*

Reſp. Ut novus homo opponitur veteri, ſic & opera utriuſque eſſe diſtinctiſſima: Unde quod malum eſt in homine, quatenus is ex Spiritu & carne concipitur compoſitus, carnis eſt & veteris hominis; quod verò bonum, Spiritûs eſt, & hominis novi; & per conſequens, prout regenitus tanquam novus homo cum ſuis operibus diſtinguitur à Veteri ejusque operibus, ità illius opera omnimodè ſunt pura, *non poteſt enim arbor bona fructus malos ferre Math.* 7:18. Neque ſtabulans in membris caro unquam efficere poteſt, ut novi hominis opera non ſint munda & Deo accepta; aliter ac Judæorum Sacrificia, quæ cùm

ob Sacerdotum malitiam, tùm propriam, qua laborabant, imbecillitatem atque inutilitatem poterant profanari, & rejici tanquam Deo non grata, imò etiam abominanda. *Jes.* 1: 11, *seq.* *Hebr.* 10: 6, *seq.* *Psal.* 40: 7, *seq.*

Ut utriusque cultus differentia meliùs innotescat, discamus ab Apostolo distinguere inter puritatem carnis, & conscientiæ, *Hebr.* 9: 13, 14. Priorem assignat cultui Veterum, qui Sacrificiis peragebatur, quod egregiè explicat Chrysostomus ad *Hebr.* 7. *Hom.* 13. *Lex illa*, inquit, *ex multa parte carnis erat. Quid est præcepti carnalis? Circumcide*, inquit, *carnem, munda carnem, tonde carnem, liga carnem, nutri carnem, subministra carni. Bona autem retributionis quæ erant? Multa vita carni, mel & lac carni, pax carni, deliciæ carni. Ex hac Lege Sacerdotium suscepit Aharon.* Is igitur cultus, tanquam carnalis, non placuit Deo, qui Spiritus est, nisi intuitu alterius, qui spiritualis est, ejus potissimum, quem Christus perfectissima obedientia ad mortem, mortem autem crucis, præstitit Patri

cœ-

cœlesti, nec alia etiam ratione fidelibus salutaris erat. Quapropter multis nominibus poterant inquinari Sacrificia Veterum, dum vel opinione expiandi verè peccati offerebantur, vel ad Sacrificium Christi non referebantur, ut umbræ, vel juxta Christi Sacrificium retinebantur, ut necessariæ observationis *Act.* 21: 20. Dico observationis necessariæ, poterant enim ad tempus retineri, tanquam indifferentis usus, sicut factum est post mortem Christi, donec honestè sepelirentur. Conscientiæ contrà puritas cultum gignit, qui, ut pars imaginis divinæ, per se Deo placet, nec unquam ità potest inquinari, ut prorsùs desinat esse Deo acceptus. Evidens igitur est quoad hoc oppositio inter Sacrificia Judæorum in Veteri, & fidelium Christianorũ in N. Test. ut hæc contradistinctè ad illa optimâ ratione potuerint vocari *munus purum*.

Tertium argumentum petit Bellarminus ex eo, quod ea oblatio Gentilium, de qua Malachias vaticinatur, sit *nova*, *& quæ antea non fuerit: Quùm constet, Sacrificia spiritualia precum, Psalmorũ, & similium* re-

rerum, *omnia fuisse apud Judæos.* Resp. Novus est Novi Testamenti cultus (1.) quoad *principium*, unde promanat; nimirum, libertatem conscientiæ à reatu, utpote qui demum Christi Sacrificio fuit ablatus *Propp.* 22. & 23. (2.) Quoad *gradus*: Accipiebant quidem Fideles Veteris Testamenti Spiritum Sanctum, attamen, quia is parciùs dabatur, & quodammodo servitutis erat ad metum *Galat.* 4:1, *seq.* *Rom.* 8:15, ideò ante Christi glorificationem non dicitur fuisse *Johan.* 7:39. Quod non aliter ac respectu operationum Spiritus intelligendum esse patet. Prout igitur Spiritus in Novo Testamento est novus, sic cultus, qui Spiritus donum est, eatenus evincitur esse novus. (3.) Quoad *subjectum*. Nova res erat, gentes, quæ superioribus ætatibus erant ἄθεοι, ξένοι καὶ πάροικοι, fieri συμπολῖται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκείους τοῦ θεοῦ *Eph.* 2:12, 19. & 3:5, 6. *Rom.* 16:25, 26. (4.) Quoad *circumstantiam loci*. Illic cultus Sacrificiorum uni domui erat adstrictus, imò preces non poterant fundi, nisi facie versus eam conversa 1. *Reg.* 8:30, 44.

Hîc

Hîc verò *omni loco offertur munus purum* & *ubiq; puræ manus attolluntur* 1. *Tim.* 2: 8.

Quartum argumentum ſumit ex *antitheſi contemptus & gloriæ Dei. Hebraici Sacerdotes*, inquit, *Deum offendebant in publico & viſibili Sacrificio. Ergo gloria Dei apud gentes naſci debuit etiam ex publico & viſibili Sacrificio.* Reſp. Concedendo totum. Cultus enim Novi Teſtamenti non tantum eſt privatus, ſed & publicus; non mentis tantum ſed & corporis, 1. *Cor.* 6:20.

Quintum argumentum promit ex *antitheſi Sacerdotum. Opponit enim Malachias non omni populo, ſed Sacerdotibus tantum Veteris Legis, non omnes Chriſtianos, ſed certos homines, qui propriè Sacerdotibus illis ſuccedunt.* Cui probando nullatenus inſervit dictum *Cap.* 3: Ubi Propheta de Chriſto loquens: *Purgabit*, inquit, *filios Levi, & colabit eos, quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt offerentes Domino Sacrificium in juſtitia.* Aut enim Levitæ hi ſunt quivis Chriſtiani, tanquam Sacerdotes *Apoc.* 1:6, aut in ſpirituali hoc Sacerdotio ſunt Duces atque Coryphæi, quod pro-

probabilius puto. Prius non prodest Bellarmino, ut per se patet; neque etiam posterius; nam tunc, licet ii sint præcipui, qui Domino offerunt munus purum & Sacrificium in justitia, tamen non sunt soli. Ut enim iidem impropriè sunt filii Levi, sic & impropriè Sacerdotes: Maximè, quùm juxta Bellarminum, ut suprà vidimus *Argumento primo*, Sacrificium spirituale & impropriè dictum à Scriptura per Sacrificium justitiæ soleat indigitari. Commodè ergò hîc intelliguntur Apostoli, quatenus erant Ministri Jesu Christi ad Gentes, ἱερουργοῦντες τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, *quò oblatio Gentium esset grata, sanctificata in Spiritu Sancto*, quale ipsorum Sacerdotium allegoricum esse apparet *Rom.* 15: 16. Levitarum verò, de quibus *Jes.* 66: 21, quem locum similiter allegat Bellarminus, longè alia est ratio, quùm hi Sacerdotibus contradistinguantur, ut in *Prop.* 21. ostendi; Illi verò apud Malachiam ipsimet sint Sacerdotes.

Denique affert *consensum Veterum Patrum, qui locum hunc Malachiæ de Sacrificio*

tio Eucharistiæ semper intellexerint. Respond. (1.) Neque nos eam excludimus. (2.) Patribus solenne est ἀλληγορεῖν; unde igitur constat, intelligi ab ipsis Sacrificium propriè dictum? potissimùm, quùm *incensum*, quod eandem cum *hostia munda*, cum qua etiam immediatè cohæret, habet rationem, de sacris precibus allegoricè exponant. (3.) Non ornantur eo testimonio Patres in Scriptura, ac si perpetuò essent vigilaturi, ne doctrina sana corrumperetur: quin potius juxta Servatoris parabolam, *quum dormirent homines*, quorum erat vigilare, nimirum Pastores, *venit inimicus & sevit zizania inter triticum & abiit. Matth.* 13:25. Nihil ergò hoc in loco favet Sacrificio Missæ.

PROPOSITIO XLIII.

Sacrificium Missæ, quantum in se est, redigit fideles sub pristinum Veteris Testamenti reatum.

Demon-

Demonstratio.

Missa est Sacrificium propitiatorium *Def.* 1. Propitiatio autem non peragitur, nisi conjecto in victimam peccato *per Def.* 8. Missa igitur supponit peccatum nondum expiatum & per consequens redigit fideles sub pristinum reatum.

SCHOLIUM.

Posteaquam hactenus Missæ vitia fusiùs demonstravi, animus jam fert exponere, quantum mali præterea ex ea redundet in fideles & Christum. Moneo autem, ne quis calumniæ reum me agat, non esse hæc incommoda de intentione Missatorum: Quapropter ea velim considerari, non ut dogmata ipsorum, sed ut ejusmodi mala, quæ ipsi Missæ actioni adhærent, non cogitantibus iis, qui in celebranda illa quotidie sunt occupati: Imò etiam, licet ea nunquam transeant vel in Christum vel fideles. Interim tamen Missa, quantum in

in se est, (quam formulam in Propositionibus secuturis similiter subaudiri volo) horum criminum est rea, quam voco *Doctrinam Missæ Realem Def.* 3. Illius verò sive Fautores sive Actores, licet verbis negent, idem per Missam reapse docere arguuntur. Ut enim ebrius, nesciens quid agat, ipso facto alterum afficit injuria, quæ non tàm ex intentione nocendi, quàm qualitate facti æstimatur; sic illi poculo mulieris Apocalypticæ aureo & abominationibus pleno inebriati, atque erroris efficacia seducti, credunt mendacio; &, quùm Christum ejusque Sanguinem pessundent, Sacerdotium illius autumant se statuminare, & supremum Deo cultum deferre: Quod tamen nobis obesse non debet, quò minùs factum ipsorum ex vero, hoc est, sua ipsius indole metientes, quàm injurium sit in Christum & membra ejus, ostendamus.

Non capit Anonymus, quî Missa possit docere, qua de causa admodum prolixus est: Dicam igitur eam docere. I. quatenus est factum quoddam Physi-

cum, & ex parte offerentis idem cum eo, quod agit Sacerdos, qui verum & reale Sacrificium offert. Is enim non aliter motitat membra, ac si veram victimam sub pane gestaret, ideóque quantum in se est, offert Christum, quem modò confecisse se credit. Quamvis defectus sit ex parte doni offerendi, quod cùm reapse non adsit, ut suprà demonstratum, actus offerendi non attingit suum Objectum, atq; iccircò inutilis est & frustraneus, moraliter verò, h. e. comparatè ad verbum Dei, illegitimus ac vitiosus. II. Quatenus essentia hujus facti ab Ecclesia Romana definitur esse Sacrificium verè ac propriè propitiatorium. Jamdudum enim notavi in *Genio Missæ* §. 7. *pag.* 6, *me doctrinam Missæ realem hoc loco non distinguere à doctrina verbali qualicunque. v. gr. Doctrinam, quam Missa ipsa indole sua importat, non oppono illis Doctorum verbis, quibus illi indolem atq; essentiam Missæ exponunt atq; definiunt.* III. Quatenus Sacerdos intendit offerre verum ac reale Sacrificium, conformiter Genio Missæ, tradito

dito ab Ecclesia Romana. Loquor de intentione Sacerdotis, non, fidelibus aut Christo nocendi, sed faciendi id, quod Ecclesia Romana facit, & se facere in definitione Missæ declarat. Id igitur omne, quod indeclinabiliter video sequi ex his tribus, facto Sacerdotis, essentia Missæ, prout traditur ab Ecclesia Romana, & intentione Sacerdotis, seu brevius ex facto, prout id ab Ecclesia Romana describitur atque à Sacerdote intenditur, appello doctrinam ex indole Missæ resultantem.

PROPOSITIO XLIV.

Sacrificio Missæ tollitur melior ea spes, qua propè accedimus ad Deum; contrà redigimur in statum fidelium sub Lege, qui eminùs stabant.

Demonstratio.

Fideles Vet. Testamenti & per Christum Sacerdotem & per alios ex meris

hominibus desumptos accedebant Deo, ipsimet verò prohibebantur ab altari *Prop.* 3. *& Schol. ejus*, & propterea longiùs removebantur à facie Dei, quàm Novi Testamenti fideles, utpote per solum Christum accedentes *Prop.* 24.

Atqui Missa reducit Sacerdotes, qui Aharonici potiùs sunt Ordinis, quàm Melchisedeciani *Prop.* 27, per quos præter Christum, prohibiti ipsimet ab altari fideles teneantur accedere ad Deum *per hypoth.* Ergò tollit propiorem illum ad Deum accessum.

PROPOSITIO XLV.

Conscientiæ quies, quam habent Novi Testamenti fideles, turbatur à Missa.

Demonstratio.

Redigit enim fideles in veterem, qui sub Lege erat, reatum *Prop.* 43. & tollit fidu-

fiduciam propiùs accedendi ad Deum *Prop. præc.*

PROPOSITIO XLVI.

Sacerdotio Missatico fœdus falsatur longè Sanctissimum atque omnium Divinissimum; illud nimirum, quod Patri cum Filio intercedit.

Demonstratio.

Est enim superadditio ad illud *Coroll.* 1. *Prop.* 20, in cujus Vindiciis id fusè est demonstratum. Scripturæ autem falsarius æquè est is, qui addit, ac qui demit *Deut.* 4: 2, *Prov.* 30: 6. *Gal.* 3: 15, 17. *Apoc.* 22: 19.

PROPOSITIO XLVII.

Sacrificium Missæ ponit pretium redemptionis, idque novum

& aliud ab eo, quod Christus posuit in Cruce.

Demonstratio.

Propitiatio sacrificalis fit permutatione victimæ & Rei victimam afferentis *Defin.* 8, *& Prop.* 36. Victimam verò Deus acceptat, ac si ipsemet Reus satisfecisset in sua persona *per Scholium Prop.* 36. Ergò ea est pretium satisfactionis. Atqui Missa est Sacrificium propitiatorium *Def.* 1. Ponit igitur pretium redemptionis. Quùm verò, qui in Missa offertur, Christus sit novus & alius à vero Christo *Prop.* 33, consequens est, numerari in Missa pretium satisfactionis novum & diversum ab eo, quod Christus persolvit in Cruce.

COROLLARIUM.

Vana igitur est distinctio Neo-Romanorum, dum Missam ejusq; propitiationem faciunt applicationis tantùm, non verò redemptionis.

SCHO-

SCHOLIUM.

Chymæram esse כפרה sine כופר, hoc est, propitiationẽ victimariam citra pretium redemptionis, ideòque Missam non tantùm esse Sacrificium applicationis, sed & Redemptionis, liquet ex Canone Missæ Majore. *Memento Domine famulorum famularúmq; tuarum, nostrorum & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se suisque omnibus pro Redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ.* Quàm bene igitur convenit Neo-Romanensibus cum Patriarchis suis? Imprimis Moguntino, qui hanc Doctrinam, in ipso Missæ Canone expressam, calumniis accenset, quibus nostrates Missam iniquè gravent *Separ. pretiosi à vili pag.* 27. *Confer* Ubel årger *pag.* 49. §. 7. *& pag.* 57. §. 7. Qua de re vide *Vind. Prop.* 17.

PROPOSITIO XLVIII.

Missæ Sacerdotio, quantum in se est, Christus denuô oneratur peccatis, imò crucifigitur atque ignominia notatur.

Demonstratio.

Sacrificium propitiationis onerat victimam peccato h. e. infligit pœnam *per Def.* 8. Atqui Missa ipsis est Sacrificium propitians, cujus victima est Christus *Defin.* 1. Ergò in Missa Christus denuò gravatur peccato, sive irrogantur ipsi pœnæ peccati.

Porrò, quùm crux atque ignominia sint ejusmodi pœnæ, ut per se patet, consequens est, Christum in Missa, quantum in ea est, crucifigi & denuò ignominiæ exponi.

PROPOSITIO XLIX.

Ordinis Romani Sacerdotium adversatur Christi Sacerdotio.

Demonstratio.

Quùm enim Melchisedeciani Ordinis unicus tantùm sit Sacerdos, *Prop.* 9, perspicuum est, illos, qui juxta Christum volunt ejusdem cum ipso Sacerdotii esse consortes, ipsum orbare Characterismo Ordinis Melchisedeciani, nimirùm unitate, & per consequens ipso Sacerdotio. Christus enim vel unicus hujus Ordinis est Sacerdos, vel omninò non est *Coroll.* 3. *Prop.* 12.

Secundò, Missa alium facit Christum, ideóque vero Christo adversantem Pseudo-Christum *Prop.* 33.

Tertiò, onerat denuò Christum peccatis, imò crucifigit *Prop.* 48.

Quartò, dum propitiat & pretium redemptionis numerat novum *Prop.* 47, Christum perfectè propitiasse negat,

 pre-

pretio ſatisfactionis in cruce perſoluto, neque ideò eſſe abſolutiſſimum Sacerdotem; *contra Coroll.* 1. *Prop.* 12, *& Schol. ejus. & Prop.* 16, 17.

PROPOSITIO L.

Genius Miſſæ adverſatur unico Chriſti Sacrificio.

Demonſtratio.

Qualis enim Sacerdotum ratio, talis etiam Sacrificii *Axiom.* 1. Jam quoniam *per Prop. præc.* Sacerdotes Romani adverſantur Chriſto Sacerdoti, neceſſe eſt, Miſſam, utpote Sacrificium illorum, *Defin.* 2, ipſo ſuo genio & indole adverſari Sacrificio Chriſti.

Deinde, quùm Sacrificium Sacerdotis Melchiſedeciani ſit unicum *Prop.* 13, nimirum Chriſti Sacrificium in cruce ſemel oblatum *Prop.* 17, certum eſt, per ipſum Miſſæ genium (utpote, quæ repetit

petit Sacrificium crucis modo incruento *Defin.* 1.) tolli unitatem Sacrificii, quod Sacerdos Melchiſedecicus immolare debebat, & per conſequens Sacrificium Chriſti ſpoliari Charactere Sacrificii à Sacerdote Melchiſedeciano offerendi. Illud enim vel unicum vel nullum eſt *Prop.*17. Miſſa ergò indole ſua crucis Chriſti eſt inimica.

Præterea, Sacrificium Chriſti in cruce peractum, eſt pretium Redemptionis unicum, ut inter nos conſtat; Sed Miſſa ponit pretium Redemptionis novum & aliud ab eo, quod Chriſtus poſuit in Sacrificio crucis, *Prop.* 47. Ergò tollit pretium Redemptionis unicum, ac per conſequens adverſatur unico Chriſti Sacrificio.

Vindiciæ.

Hîc manibus pedibusq; laborant Adverſarii, ut hoc crimen à Miſſa ſua amoliantur, quæ omnia ſuo loco jam ſunt diluta. Interim ea ordine percurram. Ità

Ità autem Moguntinus *Ver. Miſſ. Gen. pag.* 62. *ſ.* (1.) *Unde huc*, inquit, *terminus Ordinis Romani?* Et (2.) *Non ſumus Sacerdotes Ordinis Romani, ſed Chriſti, Pontificis juxta Ordinem Melchiſedek.* (3.) *Sumus Miniſtri Chriſti, tanquam Summi Sacerdotis. Ergo non adverſamur Sacerdotio ipſius.* Reſp. 1. de termino *Ordinis Romani* vide *Prop.*27. *cum Vind.* 2. Ordo Melchiſedeci non admittit Sacerdotes Miniſtros Ordinis hujus Characteriſmis in ſua perſona deſtitutos, *Vindic. Prop.* 26. Ergo non eſtis Melchiſedeciani, *ibidem.* Ergo eſtis τάξεως, imò ἀταξίας Romanæ, *ibidem.* Ergo non eſtis Miniſtri Chriſti, ſed Anti-Chriſti, notati χαράγματι θηρίου. (4.) *Munus diſpenſandi myſteria divina, prædicandi, baptizandi* &c. *non repugnat muneri Chriſti Prophetico.* Ergo *neque Miniſterium Sacerdotale adverſatur Sacerdotio Chriſti.* Reſp. Neg. Conſeq. Alia enim Sacerdotii, & alia muneris Prophetici eſt ratio. Hoc tantùm eſt applicationis; Illud verò etiam redemptionis. Inſtant. *Miſſa eſt Sacrificium applicationis*

nis non redemptionis Resp. Vana eſt hæc diſtinctio, quùm redemptio Sacrificio hilaſtico, quale Miſſam eſſe pertendunt, ſit eſſentialis, *Schol. Prop.* 36, *&* *Prop.* 47. *cum Coroll. ejus.* Quod Anonymus ad ea, quæ de unico Evangelio, Baptiſmate, item interpellatione Chriſti, & Moguntinus de fide, Pœnitentia, Precibus &c. objicit, ſimiliter habeat reſponſum.

Hac ſola obſervatione concidunt ſimul omnia ea, quæ Moguntinus Übel ärger *Cap.* 4. affert ad conciliandum cum Miſſa dictum ad *Hebr.* 10: 18. *Ubi eſt peccatorum remiſſio, ibi non amplius pro peccatis eſt oblatio. Primò* objicit ignorantiam Elenchi; Reſp. Locus hîc utrumque probat; Miſſam & adverſari unico Chriſti Sacrificio, & ſimul indicare ſui neceſſitatem ad remiſſionem peccatorum, hæc duo enim neceſſario nexu cohærent; Vide *Demonſtr.* 1. *Propoſ. ſeq. & Coroll. ejus* 5.

Secundò torquet verba mea in ſenſum alienum contra officium boni interpretis. Dixeram, ſemper intelligi in Epi-

ſtola

cere, quorum posterius ostendo *ibidem* §. 17. Adde, quod in loco Pauli non fiat mentio Sacrificii Christi in specie, quo casu dixeram, intelligi semper Sacrificium cruentum, sed in genere rejici quodvis Sacrificium, sub quo tamen Sacrificium Missæ comprehendi pertendo.

Tertiò mirè se implicat; Nam agnoscit mecum in loco allegato voculam reperiri, quæ notet perfectam peccati deletionem & lacerationem chirographi *Coloss.* 2: 14. Ast hanc jam factam esse negat. Sinat hîc Moguntinus, qui subinde & immeritò quidem mihi exprobrat ignorationem Elenchi, ut ipsi exprobrem ignorantiam Scripturæ, in tanto Doctore minimè excusandam. Evolvat enim, si placet, Novum Testamentum Græcum, & videbit, extare ibi vocem ἄφεσις; Porrò, ut eam peccati remissionem jam factam esse, convincatur, adeat, quæso, *Eph.* 1: 7, *Coloss.* 1: 14, ubi idem vocabulum occurrit:

rit: Chirographum verò jamjam cassatum, utpotè cruci affixum pariter legit *Coloss.* 2: 14. Sed video, quid viro imponat. Intelligit ipse remissionem peccatorum omnium nondum applicatam, cùm *quotidiè nova committantur, quorum petere remissionem opus habemus.* Contrà verò Apostolus manifestò loquitur de remissione peccatorum jam parta *Hebr.* 9: 15, 26, 28. & *Cap.* 10: 11, 12. Fac enim sermonem ipsi esse de applicatione nondum facta, tunc Judæi vel Judaizantes inferre potuissent contrarium ejus, quod Apostolus contra ipsos demonstrare intendebat, hoc modô: *Vbi est remissio peccatorum, ibi non ampliùs pro peccatis est oblatio. Atqui nondum facta est remissio omnium peccatorum;* per singulas enim horas nova committuntur, quorum remissione indigemus. *Ergo adhuc obtinet oblatio pro peccatis.* Impossibile est obviam ire huic instantiæ & vindicare Apostoli argumentum, nisi statuamus loqui eum de remissione peccatorum jam facta, hoc est, parta sanguine Christi, licet multis

pòst

pòst seculis applicanda, hoc modo:

Ubi jam est remissio peccatorum, ibi non amplius est pro peccatis oblatio.

Atqui in sanguine Christi jam est peccati remissio.

Ergò nulla jam amplius est pro peccatis oblatio.

Solvat hunc nodum Moguntinus, si potest; Utpote cujus hypothesis manifestissimè enervat Apostoli argumentum.

Quartò, limitat Adversarius vocem oblationis; ut nimirum *nulla sit oblatio post Sacrificium Christi, quâ citra fidem in Christum queamus mundari à peccatis*. Verùm (1.) rejicit Apostolus quodvis Sacrificium pro peccato absolutè & citra ullam limitationem. (2.) Perimit Adversarius responsum præcedens; in illo enim deletionem peccatorum, de quo loquitur Apostolus, negabat esse factam; in hoc verò affirmat, his verbis §. 6. *Breviter ergò sensus hujus loci hic est. Christus se ipsum obtulit semel, & per id abstulit*

 pecca-

peccatum. Ubi igitur peccatum est remissum, ibi nullum etiam pro peccatis ampliùs est Sacrificium, neque Mosaicum neque aliud. Ubi simul observo, ex verbis ultimis, prout sonant, per proximam & inevitabilem consequentiam, imò per terminos æquipollentes rejici Missam. Ubi enim neque Mosaicum est Sacrificium, *neque aliud*, ibi neq; Missæ Sacrificium. Si jam par pari vellem referre, arriperem hæc simili ratione, quâ Adversarium mea arripuisse mox vidi, ut inde Missam à Paulo non rejici probaret: Idque facerem majori jure, quùm hoc argumentum sit ipsius Apostoli, ut modò ostensum. Discat interim verba aliorum non avellere à reliquis, sed eum iis sensum dare, quem ipsamet verborum συνάφεια poscit. (3.) Emasculat argumentum Apostoli contra Christianos Legis zelotos, *Act.* 21: 20. Hi enim, utpote fideles, non poterant eò absurditatis prolabi, ut Sacrificia Mosaica vellent retinere eò fine, ut eorum ope citra fidem in Christum mundarentur à peccatis. Non potuerunt ergò ea alio locò ha-

habere, quam ut commemorativa Sacrificii Christi, jam peracti cujus peragendi antea erant typi; & ut media, quibus fructus Sacrificii Christi fidelibus applicaretur. Contra hos autem æquè ac contra Judæos infideles, dirigit Apostolus aciem suorum argumentorum, omnia in universum Sacrificia Christi victimâ aboleri pertendens, sub quocunque etiam prætextu quis ea velit retinere, tanquam necessaria observatu *Hebr.* 10: 8,9. *Gal.* 4: 9. Jam cogitent velim Adversarii, Missæ suæ eandem esse rationem cum Sacrificiis Mosaicis, quæ perverso zelo à quibusdam ex Judaismo conversis deamabantur.

Instat Adversarius, non rejicere Paulum, nisi Sacrificium (1.) *redemptionis* (2.) *quo peccata totius Mundi auferantur* (3.) *quod vi propria propitiet Deum*, (4.) *quo satisfiat justitiæ Dei*, (5.) *quod pro peccato etiam Originali offeratur*. Resp. Rejicit Apostolus non tantũ hoc, sed & omnia, quæ quocunq; modo pro peccato offeruntur, ut modo demonstratum. Quod

nolens volens concedat Adversarius oportet ex eo, quod locum hunc nostrum, de quo disceptamus, conferat cum *versu* 26. hujus *Cap.* 10: Ubi Apostolus voluntariè peccantibus post acceptam cognitionem veritatis, negat adhuc reliquum esse Sacrificium. Velim enim scire, num talibus adhuc supersit Sacrificium Missæ? Si ità; cur Johannes vetat pro iis orare, pro quibus licet sacrificare 1. *Joh.* 5.16? Cur iis resipiscentia negatur *Hebr.* 6: 4. citra quam Missa non prodest? Et tunc superesset ipsis ipsummet Sacrificium Crucis, utpote cujus fructus in Missa censetis applicari: Ast & hoc negat Apostolus, dum renovationem ad pœnitentiam iis abjudicat, contrà verò, certæ damnationi addicit *Hebr.* 10: 27. Si non, Ergo in dicto Pauli: *Ubi est peccatorum remissio, ibi pro peccatis non est amplius oblatio*; Sacrificium Missæ negatur reliquum esse post eam peccati remissionem, quam habemus in sanguine Christi. Consequentia luce meridiana clarior est, quùm Moguntinus duo hæc dicta, quoad

quoad negationem Sacrificii, judicet esse ità parallela, ut alterum ex altero interpretetur.

Quintò probat distinctionem inter Propitiationem *redemptionis* & *applicationis* ex 2.*Cor.*5: 18. *f.* Quam ut facillimè admitto in thesi, imò & hypothesi, quatenus ea, quæ applicationis est, Interpellationi Christi, Verbo, Sacramentis, Fidei, aliisque gratiæ mediis tribuitur; Sic, quod Adversarius *Sextò* facit, minimè patior applicari ad Missam. Ingeminet ille toties totiésque, Missam esse Sacrificium non redemptionis sed applicationis; & quidem non ex sua vi, sed Sacrificii Crucis; Ego contrà frustrà id fieri regero, quùm Sacrificii hilastici, quale Missam esse volunt, intima natura sit, ponere pretium redemptionis, prout *Schol. Prop.*36. & *Coroll. Prop.* 47. fusè ostendi. Missam igitur aut desinant habere pro piamine φερωνύμω, aut eam Sacrificium Redemptionis esse fateantur.

Obstrepit adhuc. I. *Sacrificia Veteris Testamenti licet proprie essent talia, non ab-*

abnegabant Sacrificium Christi. Ergo neque Missa. Resp. Neg. Conſ. Alia enim Sacrificiorum, quæ Sacrificium Christi præcedunt, eſt ratio, & alia rurſus eorum, quæ id conſequuntur. Sacrificium præcedens imperfectionis arguitur à ſubſequente, non contrà, *Lemm.* 24. Apoſtolus enim *Hebr.* 10: 1, 2. ex ſubſequente Chriſti Sacrificio infert imperfectionem & abrogationem præcedentium Aharonicorum, non verò ex iis poſitis tollit Sacrificium Chriſti ſecuturum. Et ſi vera eſt Adverſarii connexio, uno ictu nervum incidit Apoſtolicæ demonſtrationi. Dicerent enim Legis æmuli; *Sacrificia Veteris Teſtamenti non adverſantur Sacrificio Chriſti tunc adhuc peragendo. Ergo eadem non adverſantur illi jamjam peracto.*

II. *Sanguis Chriſti non applicat ſemetipſum.* Reſp. 1. Non applicat ſe ea applicandi ratione, quæ *extra-ſacrificalis eſt*, & interceſſione Chriſti, fide &c. peragitur; benè tamen ea, quæ applicationi, qua Sacrificia Veteris Teſtamenti gaudebant, reſpondet, *Vindic. prop.* 17.

2. Re-

2. Requirit igitur Sacrificium crucis alia jnxta se applicationis media, quæ citra novam Sacrificii oblationem fructus illius in nos derivant, minimè vero ferre potest Sacrificium aliud, multò minus verè piaculare, quale Missa esse perhibetur, ut hactenus prolixè ostensum.

PROPOSITIO LI.

Sacrificium Missæ suo ipsius genio docet, *vivos & mortuos non habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidiè Christus pro ipsis à Sacrificulis offeratur.*

Demonstratio.

Necessariò hoc fluit ex Propositione præcedente. Quoniam enim Missa tàm adversa est morti Christi, ut per eam desinat esse Sacrificium Sacerdotis Melchisedeciani, hoc ipso spoliatur vir-

tute, quæ in procuranda peccatorum remiſſione conſiſtit. Quùm enim Sacrificia Aharonica non auferant peccata, ut Adverſarii concedunt; Remiſſio peccatorum vel ex Sacrificio Sacerdotis Melchiſedeciani eſt, vel nulla eſt. Miſſa igitur, quâ ex indole ſua paſſionem Christi negat eſſe Sacrificium Sacerdotis Melchiſedeciani, ſimul negat remiſſionem peccatorum eſſe ex unica Christi paſſione.

Quod etiamnum confirmatur *Axiom.* 3, Si enim Miſſa eſt Sacrificium propitiatorium *Def.* 1, ſupponit neceſſariò Numen offenſum; Docet igitur intima indole ſua, mortem Christi non propitiaſſe perfectè Deum iratum, & per conſequens non afferre perfectam peccatorum remiſſionem.

Præterea, cùm Miſſa imperfectionis arguat Sacrificium Crucis ad conſequendam remiſſionem peccatorum, hoc ipſo flagitat Sacrificium aliud, ut neceſſarium ad ſupplendum prioris defectum. Sed quodnam quæſo? Nullum certè aliud, quàm ſemetipſum, niſi fortè gallum

lum gallinaceum Judæorum: Poſt ſepulta enim Aharonica nullum præter hoc reſtat in Orbe. Miſſa igitur ipſa indole ſua docet ſui neceſſitatem ad remiſſionem peccatorum.

Aliter.

Extinctô Chriſti Sacerdotio, neque mortui neque vivi conſequuntur remiſſionem peccatorum *Lemm.* 1. Sed Miſſa eſt neceſſaria ad id, ne extinguatur Sacerdotium Chriſti ex hypotheſi juxta *Def.* 1. Ergò eadem hoc ipſo arguitur eſſe ità neceſſaria, ut *mortui & vivi non habeant remiſſionem peccatorum propter unicam Chriſti paſſionem, niſi etiamnum quotidiè Chriſtus pro ipſis à Sacrificulis offeratur.*

SCHOLIUM.

Nititur hæc demonſtratio verbis Tridentini *Seſſ.* 22: *Cap.* 1. allegati in *Defin.* 1. *Igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel*

se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ visibile, (sicut hominum natura exigit) relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud &c. Supponit igitur Concilium, citra Sacrificium Missæ expiraturum Sacerdotium Christi, & per consequens *juxta Lemm.*1, non obtineri remissionem peccatorum. Unde insuper indeclinabili consequentià hæc Porismata sequuntur.

COROLLARIUM I.

Missa juxta Tridentinum necessaria est ad remissionem peccatorum, necessitate non tantùm præcepti, sed & medii.

Demon-

Demonstratio.

Qualis eſt neceſſitas ad id, ne extinguatur Sacerdotium Chriſti, talis etiam eſt ad remiſſionem peccatorum, quum eo extincto nullum omninò condonetur peccatum *Lemm.* 1. Atqui Miſſæ neceſſitas ad conſervandum Chriſti Sacerdotium eſt medii, ut patet ex Tridentino. Ergò etiam ejus neceſſitas ad remiſſionem peccatorum medii eſt, non tantùm præcepti.

COROLLARIUM II.

Nullum omninò peccatum ſive lethale, ſive veniale, quoad reatum nec culpæ, nec pœnæ aboleri poteſt citra Miſſam.

Demon-

Demonstratio.

Extincto Christi Sacerdotio nulla ullius peccati obtineri potest remissio, sive gravioris, sive levioris, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, *per Lemm.* 1. Citra Missam autem extinguitur Sacerdotium Christi, *juxta Conc. Trid.* Ergò citra Missam nullum omninò &c.

COROLLARIUM III.

Sine Missæ Sacrificio neque infantes habere possunt remissionem peccatorum, neque adulti; neque ægri, neque sani, neque absentes, neque præsentes.

Demonstratio.

Sequitur ex præcedenti Corollario citra ullum alium apparatum. Nullius enim peccati citra Missam fit remissio.

COROL-

COROLLARIUM IV.

Doctrina Missæ realis coincidit cum verbali Doctorum, ea nimirum, qua Missæ indolem exponunt, ejusque necessitatem urgent ad continuandum Sacerdotium Christi.

Demonstratio.

Doctrina Missæ realis tradit necessitatem Missæ ad remissionem peccatorum *per Prop.* 51. Et Missæ indoles definitione expressa, potissimùm necessitas ad conservandum Christi Sacerdotium, (quæ doctrina verbalis est) infert eandem Missæ necessitatem ad remissionem peccatorum *Lemm.*1, *& Coroll.* 1. *Prop.*51. Ergò coincidit utraque doctrina.

SCHOLIUM.

Nota me hoc loco strictiùs sumere doctrinam Missæ realem, quàm suprà factum *Defin,* 3, *& Schol. Prop.* 43. Ibi enim

enim juxta factum & intentionem Sacerdotis simul includebatur Definitio Missæ: Hîc verò, quod ex facto & intentione Sacerdotis Missatici necessariò fluit, dicitur Dogma Reale, contradistinctè ad Verba Definitionis; & quod ex his elicitur, vocatur Doctrina verbalis.

COROLLARIUM V.

Quod Catechesis Heidelbergensis in Responsione ad Quæst. 80. imputat Missæ, Scripturarium omninò est, cùm quoad rem ipsam, tùm quoad modum loquendi.

Demonstratio.

Utrumque enim deduximus ex Ordinum Sacerdotalium Characteribus ex Scriptura depromptis, irrefragabilibus ubique demonstrationibus nixi, æquantibus

tibus imò ſuperantibus Geometrarum ἀποδείξεις.

Modus autem loquendi præterea geminus eſt Paulino: Similiter enim loquitur Apoſtolus de Sacrificiis Aharonicis, nimirùm, ea commemorare peccata, ut nondum expiata *Hebr.* 10:3. Et alibi eadem ferè utitur loquendi ratione de Circumciſionis ritu, qui ipſa indole ſua importet, Chriſtum circumciſis nihil prodeſſe *Gal.* 5: 2. Hoc certè inſtar ſignaculi eſſe debet, quo interpretationis Catecheticæ, quam in *Juſtitia cauſæ* attuli, veritas obſignatur. Catecheſeos enim Auctores meritò cenſentur lingua Canaanis eſſe locuti, & non tantum λόγια θεοῦ verùm etiam ὡς λόγια θεοῦ protuliſſe.

Habes hîc, Accuſator, quod in libello tuo me flagitabas, his me verbis provocando: *Doceat, id doceri à Miſſa.* Habes Miſſæ doctrinam explicatam, & ex claris ac inconcuſſis principiis potentiſſimè demonſtratam. Det tibi Deus illuminatos mentis oculos, ut videas veritatem, & cor apertum, ut cognitam ames.

ames. Abstine interim πάσης μωρολογίας καὶ ἐυτραπελίας, monitori obsequens Apostolo. Et me judice, non Democrito ridente, sed flente potius opus est Heraclito, qui multis lacrymis te prosequatur sedentem in cathedra irrisorum.

Finiebam olim *Genium Missæ* hoc monito ad Accusatorem Catecheseos Palatinæ directo, quo ipso & nunc acquiescere possem; Verùm quoniam ex eo tempore & dissensum Catecheseos Patronorum objecerunt, ut etiam Accusator *Nasum Cereum* conscripserit, quem Catechesi affinxit, ideò post hujus Corollarii Vindicias Principiorum meorum fœcunditatem in componendo fictitio illo dissensu ostendam; quibus aliquot adhuc Propositiones addam, quæ, ne manca sit Sacerdotii Romani Theoria, necessariæ esse videntur.

Vindiciæ.

Amat hæc, qua in *Genio Missæ* usus sum & in hoc libello utor, demonstrandi

di Methodus aliquid relinquere industriæ Lectoris, quod is ipsemet cum voluptate meditetur. Infantulis cibum præmandimus atq; ori ingerimus, quod fastidium parit adultis. Posueram igitur hoc Corollarium citra demonstrationem, quia veritas ejus ex demonstratione Propositionis antecedentis manifesta erat; de quo ex ipso Corollarii titulo satis monebantur, utpote quod Porisma notat ab alia Propositione jam demonstrata exurgens. Hoc tamen non obstat, quò minùs id arripuerint Antagonistæ, ut indicium causæ malè defensæ, clamantes, ne allatam quidem esse probationem illius, quod proposueram demonstrandum. Volui igitur ipsis gratificari in *Propos.* 51. in qua verba Catecheseos controversa recitantur, & in fine demonstrationis conclusionis loco inferuntur; additis insuper consectariis, quæ veritatem Catecheseos magis magisque confirmant, & ab omni calumnia tutam præstant.

Præterea in demonstrationibus meis quatuor hîc vitia notat Moguntinus,

quorum ſingulis ſuo loco occurri. Monitum tamen ipſum adhuc velim, ut, ſi poſtea in examinandis libris Geometricè diſpoſitis verſabitur, ſtatum quæſtionis in Definitionibus quærat. Quod cum hactenus neglexerit, mirum non eſt, ipſum Propoſitiones meas arguere ambiguitatis, obſcuritatis, Ignorationis Elenchi &c. Et ſi quid adhuc manet ἀμφιβολίας, in ipſis ſæpe demonſtrationibus & ſubjunctis Scholiis elucidatur.

Modus inſuper loquendi Catecheticus, quo ipſi adeò Miſſæ imputat hanc doctrinam, *juxta Propp.* 43. *uſque ad* 51, non eſt ad ipſius palatum. Ad allata dicta *Hebr.* 10: 3. *Gal.* 5: 2. excipit: *Sacrificia Aharonica & circumciſio ſunt abrogata, tanquam mortua elementa. Ergò modus loquendi, quibus circa ea utitur Scriptura, non poteſt applicari ad Miſſam.* Reſp. Sacrificia Aharonica non tantùm ſub Lege, dum adhuc vigebant, commemorabant peccata, ut nondum expiata, verùm etiam, ſi reviviſcerent, idem facerent ſub Evangelio, &, quod Paulus de circum-

cumcisione inculcat, inutilem nobis redderent Christum. Missæ autem, (quæ falsò autumatur ab Adversario esse antitypus Sacrificii Melchisedeci *Prop.* 15. & *Schol. ejus*) eandem cum Sacrificiis Aharonicis esse rationem demonstratum est *Prop.* 43. *seqq.*

Non, arbitror, legisse unquam Anonymum Petri monitum 1. *Epist.* 4: 11. εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια θεοῦ; aut, si legit, non intellexisse: sed mirum non est homines à teneris imbutos linguâ Ægypti, ignaros esse labiorum Canaanis. Quorsum enim aliàs illa? *Putásne Catecheseos Auctores*, quos non tantùm λόγια θεοῦ, verùm etiam ὡς λόγια θεοῦ protulisse dixeram, *Prophetas fuisse, aut infallibiles Definitores? An apud te est articulus fidei eadem sic posita Catecheseos responsio? Unde tibi hoc constat?* Resp. Loquitur is eloquia Dei, ut talia, qui, quæ docet in rebus fidei, vel ipsis profert Sacræ Scripturæ verbis, tanquam divinam auctoritatem habentibus, vel quæ illis, quantum fieri potest, proximè accedunt 1. *Tim.* 6:3.

Venio tandem ad ratiunculas Moguntiensis, quibus Opusculum suum concludit. (1.) *Reformati*, inquit, *hactenus docuerunt, omnes Christianos esse Sacerdotes. Auctor verò Genii Missæ demonstrare conatur, neminem esse Sacerdotem præter Christum. Quî hoc convenit?* Respond. Non argumentum hoc est, sed mera cavillatio, & specimen vel malitiæ, vel supinæ negligentiæ. Non enim latere ipsum poterant, quæ solicitè notaveram *Prop.* 12. *Genii Missæ*, (hîc 16.) *Nemini quidem fidelium invideo Regis* ἀξίωμα *aut Sacerdotii honorem*; *Utroque enim donati sunt à Christo*, Apoc. 1:6, *ut sint* ממלכת כהנים *&* βασίλειον ἱεράτευμα Exod. 19:6. 1. Pet. 2:5, 9, *pugnant enim contra Diabolum & carnem, atque hostias offerunt spirituales, qui rationalis ipsorum cultus est* Rom. 12:1. *Ast longè aliud est, quod affectant Romani Ordinis Sacrificuli*; φερώνυμοι *illi amant esse Sacerdotes, victimam offerentes* κυρίως *talem* &c.

(2.) *Fatentur Reformati se Sacerdotibus destitui*; *Ergo etiam non sunt de Ecclesia Apostolorum, utpote inter quos erant Sacerdotes,*

dotes, *juxta* 1. *Tim.* 4:14. Resp. Erant Apoſtoli Sacerdotes, quorum Liturgia erat Evangelium, Sacrificium verò homines vivi, ſanctificati Spiritu Sancto *Prop.* 21. *& Vindic. illius*: Et tales adhuc hodie habemus Sacerdotes.

(3.) *Si Sacerdotibus carent Reformati. Ergo & ara, ideòq; rurſus non ſunt de fideliũ numero* Matth. 5:25. Resp. Ara, quam habemus eſt Chriſtus. *Hebr.* 13: 10, 11, 12. Sicut enim altare ſanctificat dona *Matth.* 23: 19, ità & victimæ, quas offerimus, ſpirituales acceptæ ſunt Deo per Jeſum Chriſtum 1. *Pet.* 2: 5. Interim, ad quam Chriſtus remittebat, ara non Novi erat ſed Veteris Teſtamenti.

(4.) *Ubi non ſunt Sacerdotes, ibi neque, qui poteſtatem habent remittendi peccata* Luc. 17: 14. Resp. Remiſſio peccati & prædicatio Evangelii non differunt, niſi objectis. Hæc ut plurimùm fit in communi, illa verò congruo individuo applicatur, nec aliud quippiam eſt, quàm conſolatio peccatoris reſipiſcentis; quæ proinde, ut omnium fidelium, ſic præcipuè Paſtorum eſt opus.

Leprosos autem meritò amandabat Christus ad Sacerdotes, quia adhuc obtinebat Oeconomia Legis. Unde, quô mihi occursat Adversarius, Dilemma alterum cornu amittit, & altero mihi non nocet.

PROPOSITIO LII.

Missæ patroni sibi ipsis adversantur, 1. Circa Missæ necessitatem. 2. Modum necessitatis, medii ac præcepti. 3. Latitudinem necessitatis.

Demonstratio.

Patet primum. Mox enim urgent Missæ necessitatem ad conservationem Sacerdotii Christi *Prop.* 51. *Demonstr.* 2, & *Defin.* 1. Ergo etiam ad consequendam remissionem peccatorum, tàm quoad culpam, quàm quoad pœnam *Lemm.* 1.

Mox verò utilem eam tantùm faciunt, non necessariam, Moguntin. Ubel ärger passim. Imò ne *unum quidem*

dem lethale peccatum per Missam auditam, quoad reatum culpæ, formaliter aboleri : Ità Accusator Catech. Heidelb. *Action. Injuriar. pag.6.* Ergò sibi contradicunt circa Missæ necessitatem.

Patet secundum. Necessitas Missæ ad continuandum Christi Sacerdotium Missolatris est necessitas medii, *ut patet ex verbis Tridentini, Def.1. & Schol. Prop.51. allegatis.* Ergò etiam ad remissionem peccati *per Lemm. 1. & Coroll. 1. Prop.51.*

Contrà verò alibi eam faciunt necessariam necessitate non medii, sed tantùm præcepti. *Act. injur. p.7.* Ergò circa modum necessitatis Missæ sibi adversantur.

Patet tertium. Necessitatem Missæ mox faciunt universalem, ità ut citra eam neque infantes, neque adulti, neq; ægri, neque sani, obtineant condonationem peccati *Coroll. 3. Prop. 51.*

Mox verò hanc necessitatem restringunt, ità ut infantibus baptizatis, imò adultis inter Acatholicos degentibus;

ægris item ſalutem aſſerant citra Miſſam: *Act. injur. pag.* 7. Ergò ſibi ſunt adverſi circa latitudinem neceſſitatis.

PROPOSITIO LIII.

Inter Autorem Genii Miſſæ & reliquos Catecheſeos Patronos nullus omninò in re eſt diſſenſus.

Demonſtratio.

Auctor *Genii Miſſæ* attendit ad doctrinam Miſſæ realem, ut tàm ex ipſo *Genio Miſſæ* quàm ex hoc libello patet, *Defin.* 3 *& Schol. Prop.* 43. Reliqui verò Catecheſeos defenſores doctrinam Doctorum verbalem, ut Scripta eorum oſtendunt. Atqui utraque hæc doctrina coincidit *per Coroll.* 4. *Prop.* 51. Ergò nullus inter eos in re eſt diſſenſus.

PRO-

PROPOSITIO LIV.

Non pugnant inter ſe ii Catecheſeos Defenſores, quorum ille Miſſæ neceſſitatem tantùm præcepti, hic etiam medii aſſignat ex mente Pontificiorum.

Demonſtratio.

Faciunt Miſſæ Fautores utrumque *per Prop.* 52. Ergò Catecheſeos defenſores ambo verum loquuntur, & per conſequens inter ſe non pugnant.

PROPOSITIO LV.

Patronus Catecheſeos alter, qui Miſſam ex mente Neo-Romanorum univerſaliter facit neceſſariam, non adverſatur alteri, qui eam reſtrictiùs facit talem.

Demonstratio.

Tàm hoc, quàm illud faciunt Missæ Assertores *per Prop.* 52. Uterque igitur Catechismi Patronus, quod verum est, profert, neque ideò inter eos est pugna.

SCHOLIUM.

Videat hîc Accusator Catecheseos & complices illius, cui imputanda sit ἐναντιοφάνεια, quæ est inter diversos illos modos, quibus Catechismus ex mente Pontificiorum est explicatus. Ipsis nimirum Missæ Patronis, qui ut *Propos.* 52. ostendi, circa Missam in plurimis sibi adversantur: Unde Catechesis recensens Missæ doctrinam diversimodè intelligi potest. Contrarietas igitur illa est in objecto, h. e. re ipsa seu Doctrina Missatica, prout ea à suis Auctoribus traditur, ità ut pugnantia quidem loquantur Catecheseos Defensores,

res, non, quæ ſtatuant ipſimet, ſed quæ Miſſæ ac Patronorum illius eſſe pertendunt. Quare ex verò eſt, quod Accuſator verba Catecheſeos *Naſum Cereum* appellat, quippe Doctrina Miſſatica, quæ iis continetur, revera eſt talis. Vide interim de hoc diſſenſu Tractatum, qui inſcribitur *Diſpulſio Nebularum*.

PROPOSITIO LVI.

Accuſator Catechiſmi Palatini, condemnando Catechiſmum ejuſq; Doctores, ſemetipſum cum Sociis condemnavit.

Demonſtratio.

Condemnata eſt Catecheſis cum Doctoribus ejus ob Crimen falſi commiſſum ex eo, quòd aſſerant Miſſam juxta Pontificios eſſe neceſſariam

ad

ad remissionem peccatorum *Act. Injur. p.* 8,9. Atqui idem asserit Accusator cum sociis & asserere debet juxta Tridentinum *Prop.* 51. & *Corollariis illius.* Ergò Judicium, quo Catechesin condemnavit, contra se ac socios pronunciavit.

SCHOLIUM.

Prout in tractanda hac Controversia histrionem potiùs egit Accusator, quam modestum Disputatorem, sic Rationem tanquam Judicem personatum induxit, judicium condemnationis pronunciantem in Catechesin, ut in Præfatione narratum. Quô factô sibi ac causæ suæ, tanquam re benè gesta gratulatur ac Comicos agit triumphos, quùm contrà & Veritas & Ratio absolvant ab hoc crimine Catechesin, Accusatorem verò iniquum, inusto calumniæ stigmate & impudentiæ nota depellant à tribunali non sine indignatione & sannis, idque verbis Davi-

Davidis ex *Psalm. 7: vers.* 15, 16, 17. depromptis:

Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.
Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.
Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

PROPOSITIO LVII.

Sacerdotium Romanum est emphaticè Anti-Christianum.

Demonstratio.

Anti-Christus emphaticè notat & Vicarium Christi, & simul Adversarium, ut patet ex significatu particulæ ἀντὶ. Atqui Sacerdotium Romanum est Vicarium Sacerdotii Christi *ex hypoth. juxta Def.* 1. *&* 2. Attamen eidem simul adversum, ex rei veritate *Prop.* 49, 50. Ergò emphaticè est Anti-Christianum.

PRO-

PROPOSITIO LVIII.

Proteſtantes juſtam habuerunt cauſam deſerendi Eccleſiam Romanam.

Demonſtratio.

Eſt enim I. Anti-Chriſtiana *per Propoſ.* 57.
II. Idololatrica *per Prop.* 34. Ergo meritò deſerta *Lemm.* 8.

PROPOSITIO LIX.

Sacerdotium Romanum eſt חרם anathema, atque excidio dignum בידי שמים manu divina.

Demonſtratio.

Patet prius. I. Qui alium Chriſtum, aliud facit Evangelium *per Axiom.* 15.

Atqui

Atqui Sacerdotium Romanum alium facit Chriſtum *Prop.* 33. Ergo & aliud Evangelium, & per conſequens anathema eſt *Lemm.* 7.

II. Qui alii ſacrificat, præterquam Jehovæ, execrabitur *Lemm.* 10. At Sacerdotium Romanum hoc facit *Propoſ.* 37. Ergo &c.

Patet poſterius. I. Sacerdotes ψευδώνυμοι accedentes aræ, rei erant pœnæ mortis divinitus infligendæ *Schol. Propoſ.* 3. Atqui tales ſunt Sacerdotes Romani *Coroll. Prop.* 26. Ergò &c.

II. Qui offerebat in loco illicito, excindebatur *Lemm.* 21. *& Prob. ejus.* Sed Sacerdotes Romani offerunt in loco illicito, imò idolæo *Prop.* 38. Ergò.

SCHOLIUM.

Prout judicia, quæ populo Judaico obvenerunt in deſerto, τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν 1. *Cor.* 10: 6, ſic non dubium eſt, quin id, quo abſorpta eſt factio Korah, prælüdium fuerit judicii divini, imminentis turbæ Sacerdotum

tum falſorum, qui in Novo Teſtamento erant futuri; Chriſtus enim omnes hoſtes ponet ſcabellum pedum ſuorum *Lemm* 5. Ut enim illi in Veteri Teſtamento Sacerdotium affectabant, quùm Characteribus tamen Ordinis Aharonici carerent, ità & hi in Novo Teſtamento Sacerdotium uſurpant Melchiſedecianum, licet Characteriſmis illius Ordinis ſint deſtituti: Similia igitur peccata ſimiles flagitant pœnas.

Concinunt Prophetæ. Jeſaias Cap. 11. v. 4. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet improbum.* Conf. 2. Theſſ. 2: 8. Item Apocal. Cap. 2: 22, 23. *Ecce ego conjiciam Jeſabelem in lectum, & eos qui adulterium committunt cum ea, in afflictionem magnam, & filios ejus occidam morte.* Et Cap. 19: 20. *Comprehenſa eſt beſtia & cum ea Pſeudo-Propheta ille, qui ediderat ſigna in ejus conſpectu, quibus ſeduxit eos, qui acceperant Characterem beſtiæ, & qui adoraverant imaginem ejus; & vivi conjecti ſunt ambo in ſtagnum ignis ardens ſulphure.*

Nota hîc parallelifmum judiciorum Dei,

Dei. Ibi *aperiente terrâ os suum*, VIVI *descenderunt* שאולה *in infernum* Numer. 16: 32, 33. Hîc similiter VIVI *conjecti in stagnum*. Ibi *ignis egressus à Jehovah consumpsit viros* 250, *qui offerebant suffitum* Num. 16: 35. Hîc pariter ignis, & quidem à Domino; *Igne exuretur, quia validus est Dominus, qui judicat eam* Apoc. 18: 8. Confer Jes. 30: 33.

Problema.

Πανωλεθείας *Sacerdotii Romani tempus determinare.*

Ut hoc Problema, quantùm fieri potest rectè construatur, paucula adhuc Demonstrationum principia præmittam, unde facili negotio ejusmodi educam Propositiones, ex quibus legitima illius constitutio pendet.

Definitiones Propheticæ.

I.

Per Babylonem, Ægyptum, Bestiam, Tyrum, hîc intelligio mysticè Anti-Christum cum ejus cœtu.

II.

Turca cum suo Regno Assyrius vocetur.

Axioma.

Quâ doctrinâ revelatur Anti-Christus, eâdem populus Dei ex ejus cœtu evocatur.

Lem-

Lemmata Prophetica.

I.

Casus Anti-Christi duplex est: Prior partialis; posterior verò totalis. *Quippe in priori manet domicilium Apoc.* 18: 2, *in posteriori autem comburitur igne vers.* 8.

II.

Inter utrumque hunc casum intercedunt hæc tria à Prophetis notata. (1.) Brevis Ecclesiæ pax. (2.) Babelis triumphus de fidelibus devictis. (3.) Depressio fastûs Assyrii.

Probatio.

Primum collige ex *Apoc. 6:11.* ubi animabus occisorum ab Anti-Christo voci-

ferantibus ſub altari *datæ ſunt ſtolæ albæ*, ſymbola victoriæ atque pacis *Apoc.* 3: 5. *&* 7: 13, 14, 15. Coincidit *oblivio Tyri per annos* 70, *J. ſ.* 23: 15.

Secundum lege *Apoc.* 18: 7. *Sedeo Regina* &c. Materia autem triumphi ſunt fideles devicti & occiſi *Apoc.* 11: 7, *ſeq.*

Tertium reperis *Zach.* 10: 11. *Dejicietur faſtus Aſſyrii, h. e. Turcæ per Def.* 2, & *ſceptrum Ægypti, i. e.* Anti Chriſti *def.* 1. ex *Apoc.* 11: 8, *amovebitur.* Confer *Jeſ.* 19: 23. *Erit via munita ex Ægypto in Aſſyriam, & veniet Aſſyrius in Ægyptum, & Ægyptus in Aſſyriam, & ſervient Ægyptii Aſſyrio.*

PROPOSITIO I.

Doctrinâ Proteſtantium revelatus eſt Anti-Chriſtus.

Demonſtratio.

Sacerdotium Romanum eſt Anti-Chriſtianum *per Prop.* 57. Atqui hoc eſt demon-

demonstratum ac palàm factum per Protestantium doctrinam, cujus specimen exhibeo in hoc libello, præcipuè *Propp.* 49, 50. Ergo per eam Anti-Christus est revelatus.

PROPOSITIO II.

Ecclesiæ Romanæ casus, qui contigit tempore Reformationis, fuit prior Anti-Christi casus.

Demonstratio.

Tempore Reformationis cecidit magna pars Ecclesiæ Romanæ, abolito Missæ Sacerdotio, idque per doctrinam Reformatorum, ut ex historia patet. Atqui idem Sacerdotium est Anti-Christianum *per Prop.* 57. Ergo dum illud cecidit magnam partem per doctrinam Reformatorum, Anti-Christus ex parte cecidisse censendus.

PROPOSITIO III.

Protestantes sunt ii, qui exire jussi sunt Babylone, imò actu exierunt.

Demonstratio.

Doctrinâ Protestantium revelatus est Anti-Christus *Prop.* 1. Ergo eâdem evocati sunt ex cœtu ipsius *per axiom. nostr.* & per consequens Protestantes fuerunt ii &c.

PROPOSITIO IV.

Pax, qua per tempus aliquod post Reformationem gavisi sunt Protestantes, est illa, quæ fidelibus promissa est post casum Anti-Christi priorem.

Demon-

Demonstratio.

Proteſtantes ſunt populus Dei, qui juſſus eſt exire Babylone *Prop.*3. Atqui ille ipſe eſt, cui promiſſa eſt pax brevis intervalli *Lemm.* 2. Ergo eadem quoque pax eſt, qua fruiti ſunt Proteſtantes poſt tempus Reformationis, & quæ fidelibus poſt exitum ex Babele promiſſa eſt à Prophetis.

PROPOSITIO V.

Triumphus Eccleſiæ Romanæ de Proteſtantibus, paucis retrò annis ad incitas ferè redactis, fuit beſtiæ triumphus.

Demonstratio.

Eccleſia Romana eſt Anti-Chriſtiana *Prop.* 57. Contrà Proteſtantes ſunt po-

COROLLARIUM.

Dies igitur 1260, quibus & prophetabunt duo teſtes amicti ſaccis, & Anti-Chriſtus regnabit, Prophetici ſunt dies, h. e. totidem anni.

Demonſtratio.

Patet *primò.* Sacerdotium Romanum duravit per dies longè plures, quàm 1260, ut conſtat. Atqui idem eſt Anti-Chriſtianum *Prop.* 57, & quidem emphaticè tale. Ergo regnum Anti-Chriſti & teſtium Dei ſub illo, non eſt tantùm dierum 1260 ſimplicium, ſed totidem annorum.

Secundò; quæ geſta ſunt poſt priorem Anti-Chriſti caſum, longè ſuperant intervallum dierum 1260, hoc eſt, trium cum dimidio annorum; pax enim quæ conceſſa fuit Proteſtantibus poſt exitum ex Babele, vel ſola eſt annorum 70, *Lemm.* 2. Et interea Anti-Chriſtus regnavit toto illo tempore, maximè perſecutionis, quæ ſecuta fuit pacem *ibid.* Ergo

integra Regni Anti-Christiani duratio non potest coarctari intra tempus 1260 dierum.

PROPOSITIO VII.

In eo versamur temporis intervallo, quod intercedit inter utrumq; Anti-Christi casum. *Prior enim jam contigit* Prop. 2, *& posteriorem praestolamur* Lemm. 2.

PROPOSITIO VIII.

Ea vivimus tempora, quæ proximè attingunt futuram Anti-Christi πανωλεθρίαν.

Demonstratio.

Duplex est Anti-Christi Casus, *per Lemm.* 1. Et inter utrumque intercedit brevis Ecclesiæ pax & postea devictio, triumphante Babele; quam sequitur humiliatio fastus Assyrii *Lemm.* 2. Atqui illa duo jam sunt impleta *Propp.* 4, 5. Hoc verò

verò modò impletur *per Prop. 6.* Ergo vicini ſumus caſui Anti-Chriſti poſteriori i. e. totali, & *per Prop. 57* Sacerdotii Romani; quod eſt ipſiſſimum Problema noſtrum, ejuſque legitima conſtitutio juxta Prophetias. Non poſſum igitur, quin illis occinam:

הוי לכם כוחני שוא
מכוהן האמתי ויחיד :
אשר הדפתם ממצבו
וממעמדו תהרוסו :
כי יבער במעט אפו
ומי העומד בהראותו :

אכ״יר

תם וגם נשלם ספר כהונת שקר :
תהלה לאל נעלם אשר משפטיו אין חקר :

IN-

INDEX
PROPOSITIONUM ET COROLLARIORUM.

Prop

Prop.

Prop.

INDEX.

Prop.

Prop.

Prop.

Prop.

INDEX.

FINIS.